
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
18 D
61

6-22-f-59

HIEROSOLYMAE EVERSAE

IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRE CONSVLTI GALATEI, ET ACADEMICI OCIOSI



LIBRI DECEM.

AD ILLVSTRISSIMVM GALEATIVM FRANCISCVM PINELLVM III. ACHERVNTIAE DVCEM, ET GALATVLAE MARCHIONEM.

NEAPOLI, Ex Typographia Ioannis Baptistæ Gargani & Lucretij Nucci. M. DC. XIII.



ILLVSTRISSIMO DOMINO
GALEATIO FRANCISCO
PINELLO III. ACHERVNTIAE DVCI,
ET GALATVLAE MARCHIONI, &c.

NATVRA comparatum est; vt vnius resolutio sit planè alterius rei generatio, quod sanè in Ecclesia Dei Naturæ parentis satis conspicuo exemplo est nobis compertum; Euersa enim funditus terrena Christiani nominis hoste, Sacra paulatim consurgit Hierosolyma eiusdem assertrix, vt potè Catholicæ Ecclesiæ incrementum, & splendor. Id quod inter primarias Christiani Orbis familias non parum videtur auxisse PINELLA gens tua, summorum nimirum præsulum mater (Dux Illustrissime) ex his plurimum sibi vendicat BAPTISTA ille Pinellus immortalis memoriæ Consentinus antistes Innocentij VIII. Summi Pont: pronepos, cuius virtus in diœcesi lustranda, moribus emendandis, collapsa Ecclesię disciplina erigenda; Templis extruẽdis, xenonodochijs instaurandis, egentium inopia subleuanda ita enituit, magniq; viri Reli-

gio, pietas, prudentia, solertia eõ sanctitatis excreuit, vt in tantis sæculi tenebris non secus, ac diuinum quodam lumen effulserit, vtq; meritò Brutij tanti præsulis memoriam cum Diuorum veneratione propè coniunxerint. Huius pronepos DOMINICVS Romana in Aula diù versatus grauissimis Catholicæ Ecclesiæ muneribus obeundis ita respondit, vt ad Sacrę purpurę apicem, mox ad Collegij Principatum euectus fuerit. Quorum vestigijs planè inhæsit IOANNES VINCENTIVS Illustriss. genitoris tui patruus, in quo exornando (nouit tota Italia, nouit vniuersa Europa) immensa scientiarum moles cum religione, & prudentia certarunt. Neque verò cæteros, Illustrissimæ familiæ tuæ Regulos seculari ditione præstantes omittam, quippè qui & ipsi religione, iustitia, pietate, fortitudine Christianæ Reipublicæ administrandę, eidemq; defendendę maximo sunt decori, & adiumento. Hos inter eminet BARTHOLOMEVS Pinellus strenuus militię Dux idemq; summę pietatis Hęros, qui ducentis fermè ab hinc annis contrà summos Reges pro Ecclesiæ libertate arma induere non est veritus. Mitto COSMVM seniorem, cuius eximia in tàm magna fortunæ amplitudine animi moderatio patrum nostrorum ætati conspècta, & posteri-

ſteritati in primis eſt memorabilis, COSMO GALEATIVS auus tuus eſt genitus, quem non magis paternæ per amplę ditiones, quàm ſuæ ipſius virtutes, & merita extulerunt. Is omnia vitę munera per ſanctè impleuit, propinquos, & amicos liberalitate, & hoſpitalitate iuuit, ſubditis æquitate, iuſtitia, charitate imperauit, & Catholico PHILIPPO REGI II. fidelem, & ſtrenuam bello operam ſæpiùs nauauit, quem Rex grato animo proſecutus Turonenſis ditionis Marchionem, mox Acheruntiæ Ducem creauit. De Illuſtriſſ. autem COSMO patre tuo Acheruntiæ Duce, & Galatulæ Marchione quis noſter erit ſermo, quod nam principium, quis nam finis? ſatius eſt tacere, quam in tàm vaſto laudum pelago pauca dicere. Quis enim eius in Deum religionem, Templaq; per ipſum innumerabilibus impenſis Deo dicata, & immodica per eundem piè legata miſerabilibus, & egenis, in amicos, propinquos, & ſubditos eiuſdem pietatem, generoſitatem, cæteraſq; animi, & corporis dotes, quis ſcientiarum numeros, quibus vndique enituit enarrare valeat? quiſuè eius in armis præſtantiam ſatis commendet, quam cum multa alia, tùm potiſſimum expeditio contrà turcas diebus fermè noſtris apud Tarentum oſtendit? quis denique graue, & cum

primis

primis perſpicax in arduis, maximiſq; rebus con ſilium prędicare ſatis pręſumat? vt non immeritò à PHILIPPO III. Auguſtiſſ. Magni Cancellariatus munere in Regno Neapolitano inſigniri promeritus fuerit. Cæterùm in te (Dux Illuſtriſſime) conteſtatam maiorum tuorum in Deum religionem, animi candorem, morum ſuauitatem, & grauitatem, totiuſq; vitæ integritatem, quibus ſumma ingenij felicitas, & ſcientiarum in tenera adhuc ætate non leuis cognitio acceſſit, eſt nè aliquis qui non admiretur, ac tantas animi tui & corporis dotes non colat, & recolat? Neque tantùm paterna gens tua; ſed & Illuſtriſſima materna Grilla familia ſumma præſtitit religionis dignitate; ex ea enim (mater no latere) ortus eſt ſummus ille, & nunquam ſatis laudatus Catholicæ pietatis aſſertor Innocentius IIII. æternæ memoriæ Chriſti Vicarius, vt cæteros eiuſdem Illuſtriſſimæ familiæ S.R.E. Cardinales, & meritiſſimos pręſules, & Hæroes toga, & armis clariſſimos omittam. Iam verò pium EVERSAE HIEROSOLYMAE poema à me ſummis vigilijs elaboratum tibi pietate, & religione inſigni Regulo, & ex antiquiſſima, & nobiliſſima familia longa piorum Hæroum ſerie ſacræ Hieroſolymæ inſtaurattrice progenito conſecrare operepretium duxi, quod

xi, quod

xi, quod præterea naturalis mei erga te debiti, & ligij iuris obsequium expostulat. sume igitur hilari fronte (mi Dux, & Mæcenas) addictissimi serui munus, tibi vni iure optimo omniq; ex parte debitum. Deus Opt. Max. te incolumem diutissimè seruet, vota secundet, & ad maiora euehat. Neapoli Nonis Maij. M.DC.XIII.

Seruus humillimus

Io: Petrus de Alexandro I.C. Galatens.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
GALEATIO FRANCISCO
PINELLO III. ACHERVNTIAE DVCI,
ET GALATVLAE MARCHIONI, &c.

IO. ANTONII PARISII
IVRISCONSVLTI PRAESTANTISSIMI
DE AVTHORIS POEMATE.

EPIGRAMMA.



OENIA dum Solymæ bello quassata, Ducumque
Doctus ALEXANDER grandia gesta dicat.
Scis quid agat? magnis natum te commouet ausis
Exemplo, & laudis carmine monstrat iter.
Inclyte sic Hæros grauibus quæ gesseris annis
Qui tibi nunc, de te concinet arte pari.



FRAN-

FRANCISCVS DE PETRIS

IVRISCONSVLTVS CLARISSIMVS ACADEMICVS OCIOSVS AVCTORI.



EV belli clarus quondam fuit ille trophais
Magnus Alexander; sic nouus ipse cbely:
Munificus cunctis Macedo; Macedonicus alter
Munera Calliopes fundis vbiq; melos.
Felices hasta, & calamus, quibus athera fas est
Scandere; & Eoos cogere, & Hesperios.

PROSPERI ANTONII ZIZZÆ ACADEMICI OCIOSI AD AVTHOREM.

EPIGRAMMA.



ELLA canis bellè, Magnum qui pectore magno
Reddis Alexandrum dum noua bella canis.
Fecit Alexander, tu prælia concinis, ille
Non alio vellet carmine PETRE, cani,
Et cum magnanimi tumulum vidisset Achillis
Dixisset, similis iam mihi surgit honos.

† PETRI

PETRI ANTONII DE MAGISTRIS AD AVCTOREM.

EPIGRAMMA.



OESTA diù iacuit lauri GALATEA sub umbra,
Digna suis cupiens nectere serta comis.
At dùm tu altisono plectro memoranda per orbem
Aeneadum in SOLYMAS Arma, Ducemq; canis,
Laeta suos decorat crines, & vt altera Mantho
Aeternum capiti nunc diadema gerit.

DON ANTONII SCORRANI DE AVCTORE.

EPIGRAMMA.



RAEVIDIT Genitor mores, animumque Philippus
Fortis Alexandri, latus & ore refert.
Ista Macedonia tellus te detinet? orbis
Sufficiens, fili, nec tibi totus erit.
Iure quidem GALATEA potest hac dicere, fili,
Sunt Salentini paruula meta tibi.
Alter Alexander bello sit nomine Magnus:
Tu verò altiloquo carmine maior ades.



ERV-

ERVDITISSIMI I. C.

ASCANII DE COLELLIS ACADEMICI OCIOSI AD AVTHOREM.

EPIGRAMMA.



RMA, piosq; Duces, & dura in prælia Reges
Et Solymæ magnum dum canis excidium,
Dumque nouos casus magno componis Homero,
Virgilij, & Tassi grandiùs ore sonas,
Romanus, Græcus, Thuscus tibi plectra Poeta,
Supponuntque tuis carmina carminibus,
Pro te plectra silent, supponunt plectraque vates,
Tu cui submittas, tempora nulla ferent.

DON PAVLI PORTARELLI AD AVTHOREM.



EPIGRAMMA.



I Maro perpetuum meruit, si nomen Homerus,
Funera quòd Troiæ tàm benè vterq; canit,
Ibis in ora virùm mox tu non laude minori
(Excisam Solymam sic tua Musa canit,)
Intentatum aliis opus, optatum omnibus æquè
Aggressus, Phœbo, Calliopeque Duce.

IO. FRANCISCI CARDAMII
I. C. GALATEI
AD AVTHOREM.

EPIGRAMMA.



MPHION Cithara Thebanam condidit vrbem,
Pergama phœbea sunt quoq; structa lyra:
Sed tibi, Alexander, vis est in carmine maior,
Dum Solymæ horrendũ concinis excidiũ.
Sacra ruunt, Delubra ruunt, flamma omnia vertit,
Templa ardent, signum vix superest cineris;
Ad tua plectra tamen sacra vrbs post fata resurgit,
Nec quæ tot passa est damna, futura timet.

CAROLI PINTI
AD AVTHOREM.

EPIGRAMMA.

DVM pia bella Titi longo post tempore solus
Carmine, PETRE, refers, & Solymæ excidium.
Musa tibi prima assurgit cum laude latina,
Cineęque se se effert te Galatea suo.



PROSPE-

PROSPERI ANTONII ZIZZAE
NEAPOLITANI,
ET ACADEMICI OCIOSI ARGVMENTA IN DECEM LIBROS HIEROSOLYMAE EVERSAE.
IO: PETRI DE ALEXANDRO
I. C. GALATEI.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.



ASTRA locat Romana Titus, petit alma Tonantem
Fata, Fides, Solymæ, lethalem vltura ruinam.
Mittitur è cælo Symeoni nuncius, vt mox
Christigenas secum Solymarum ex vrbe reducat.
Romani interea miseros turbare colonos
Incipiunt. Pyrrhus Faustam necat. illius ergò
Interimit Pyrrhum Perseus: ac Persea Pyrrhi
Obtruncant socij. legatos mittit ad vrbem
Inde Titus, si bella velit. vocat Arbiter Orci
Concilium, Furiæq; ferunt fera semina belli.

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

SAcra canens populum Solymarum ex vrbe reducit
Antistes. Montesq; petunt. responsa feruntur
Bella feri. Solymam vult ipse euertere Cæsar.
Ductor Ioannes legitur, fabriq; per atras
Inueniunt siluas Symeonem, illumq; , eborumq;
Euinctos referunt. Cæsar dimisit at illos,
Cui Symeon ventura canit. ruituraq; dicit
Mœnia Syderei propter fera fata parentis,

Hinc simul annales orditur origine primos,
Gesta canitq; Dei, mox ad montana reuertit.

ARGVMENTVM LIBRI TERTII.

IPse recenseri Cæsar iubet agmina. celsa
Sede videt cunctos miro ordine prætereuntes
Cæstius hinc aditum tentat, bellumq; lacessit
Iudæis populos Oldrysius acer ad arma
Hortatur, prohibet cunctos pugnare. Ioannes:
Vnus at Oldrysius pugnat. dominoq; iubente
Cæstius, Oldrysio mouet arma. at pulchra virago
Dum Penæa venit, fit Amoris saucius ictu
Cæstius hinc pugnant. Oldrysius interit. ille
Mox redit. huic Cæsar pateram largitur, & aurum.

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI.

SOpito Regi spectatur imago Sabini,
Ostendit cui visa polum, cæliq; meatus,
Regna caduca, aperitq; illi labentibus annis
Venturum AVSTRIADVM romano à sanguine Regum
Imperium. mox bella infert lux postera iussu
Cæsaris: armatas disponit, & vndique gentes
Ductor Ioannes, Templumq; & culmina munit.
Romani inuadunt Vrbem, certantq; sagittis,
Exoritur cædes vtriq; . Lifrontis & vmbra
Traiano signat loca, Mannæumq; receptant.

ARGVMENTVM QVINTI LIBRI.

ICtus amore petit dum fontem, extinguere tentans
Insanas animi flammas, dum prælia tractat
Occidit ignoto Penæa Cæstius ense.
Albinus Furiæ stimulis ad bella vocauit
Romanum Placidum studia in contraria vulgus
Scinditur. aduenit Titus, & compescuit iras.
Occidit Albinus Placido. tum castra relinquit
Eumenides Placidus metuens. & Mentoris arte

Suade-

Suadetur Placidum nè Rex castiget, & illi
Insontis Corradini bona fata renarrat.

ARGVMENTVM SEXTI LIBRI.

IOanni Magus auxilium promittit Aletes,
Inde per aerios magica volat arte meatus,
Mox Barathrum ingreditur, Placidus Symeonis amico
Hospitio excipitur, Symeon cui numine plenus
Multa refert ventura, aperit pœnasq; sub Orco.
Indicit Titus arma, & muros ariete quassat.
Iudæis apportat opem Plutonis Aletes.
Neptunum Cedron petit, auxiliumq; precatur,
Ille negat, proprio tristisq; reuertitur alueo
Plurima Neptuno cognoscens damna loquente.

ARGVMENTVM LIBRI SEPTIMI.

TArtareo auxilio pugnat Iudæus Alethes,
Romanosq; necat numeroso milite, Cælo
Dum ruit ex alto fulmen vis cessit Aletæ.
Romanus varias orditur in agmina cædes.
Infensa: antè alios sed præstantissimus omnes
Hortaturq; animos Titus, & vim suscitat acer.
Hoste Camillus obit. perimit Titus vltor Amanum.
Romulidæ Henrici poscunt sibi corpus. humanda
Corpora Penæa dat Rex, & funera Cæstij
Agnoscit, Diuumq; parentem Roma precatur.

ARGVMENTVM OCTAVI LIBRI.

AT pater omnipotens rosea ceruice Ministrum
Romanis mittit fauturum. ille impiger arcum
Educit, scutumq; vbi prælia Romanorum
Atq; videbatur curru Roma alta triumphans
Venturiq; patres. muro cum turribus altis
Circumdat Solymam Titus. it Romanus ad arma
Acceptus Regi Placidus Symeone monente.
Statius ad Cœnam canit. & bona signa videntur

Roma-



IO. PETRI DE ALEXANDRO

IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI.

HIEROSOLYMÆ EVERSÆ.



LIBER PRIMVS.



Rma cano Aeneadum, formidatumq; profanis
Iudæis Regem, primus qui venit ab oris
Hesperiæ magnæ Solymorum euersor in vrbem:
Victrici multùm ille manu, valuitq; potenti
Consilio, multosq; adijt, vicitq; labores,

A Tarpeia-

Tarpeia è solymis vt poneret arce trophæum.
Difficiles dùm tento vias ad carmina vires
Musa refer meritas, & magnis annue cæptis
Vt valeam populos, & habentes nubila terras
Deserere, & tenebris penè obsita facta virorum
Magnanimum optatas reuocare ad luminis auras.
Romulidum validis miserè deuicta iacebat
Tandem omnis Iudæa armis: sed maxima nō dùm
Viderat ausonias SOLYMA aduentare cohortes
In sua damna; tamen bellis ciuilibus illam
Ioannes, agitatq; Simon crudelis vterq;
Agmine quos duplici Hebræi sectantur in armis,
O scelus, Hæbræos contra fera tela gerentes,
Nouerat ista TITVS romanæ gloria gentis
Cæsaree hospitijs prædulci vere relictis,
Tùm Ducibus coram sic alta voce profatur.
Romani proceres, gens imperterrita bello
Quùm latijs mecum modò quinta reuoluitur æstas,
Discessistis agris nitidas Orientis ad oras,
Cura fuit cūctis SOLYMAM superare rebellē
Iudeæ dominam antè alias, eademq, remansit
Mens semper, seruata mihi melioribus horis
Vsq; huc pugnatum, fateor nostrisq; subacta est
Iam fortis Iudæa armis, & cessit Idumes,
Victa Palæstina est, victa est Galilæa: sed ista
Quid memoro vobis si cuncta ex ordine nostis,
Vici-

Vicistisq; vnà mecum, spectastis & atro
Sanguine conspergi terras, & flumina cursu
Maiore illabi multo rubicunda cruore?
Tempus adest Solymas tandem victricibus armis
Subdere; quãdoquidẽ, haud credo sinè Numine Di
Audaces vexat pœnitus discordia ciues (uum,
Intentiq; odijs adeò ciuilibus hostes
Aggressus vix aduertent ad moenia nostros,
Forsitan ex illis ciuilia bella perosi
Effugient multi, romanaq; iura subibunt.
Ergò alacres longo firmati robore ad vrbem
Aptemus propiùs castra, instrumentaq; belli.
Dixerat hæc Cæsar, Regis quum tẽpora circùm
Astantum conspecta oculis splendescere lux est,
Nocte velut nitidum scintillat sydus in atra.
Omine Romulidæ, læto mandata facessunt
Omnes, & iussa ingenti clamore sequuntur,
Arma omnes clamant, armat se exercitus omnis.
At Deus omnipotens Cœli de parte serena,
Vnde mare, & terras prospectat, & vnde tuetur
Vrbes, & Regna, & solo regit omnia nutu
Ad syriæ fines ardentia lumina vertit
Multa animo voluens, ad quem sic incipit ore
Sancta Fides submissa genu, supplexq; precatur
Eccquis erit Solymæ finis pater optime Diuum
Quando aderit promissa dies vt moenia spectem

Diruta? quæ nàm te genitor sententia vertit?
Nec soluent diro Solymi pro crimine poenas?
Impunè occiderint vates, impunè: tuorum
Infida vndarit toties terra aucta cruore?
Cur adeò cessas crudelia funera Nati
Vlcisci; tàm magna tuæ est patientia menti?
Præterea non me expulsam è maioribus vrbis
Nouisti Solymæ latias errasse per oras?
Illic ni armipotens rerum pulcherrima Roma
Vltrò accepisset, nunc me pater optime, tandem
Extra anni, solisq; vias quæ terra teneret?
Salue orbis Regina, Dei terrenaq; sedes
Antè alias mihi cara domus fidissima Roma.
Quarè age si te cura mei modò detinet vlla;
Nàm tenet, & Fidei nũquam potes immemor esse;
Hoc vnum concede Pater, post multa meorum
Funera, tot post immensos, variosq; labores,
Hanc primùm tutare domum, dextraq; potenti
Cæsaris inuicti, romanaq; signa sequentum
Digna luant Solymæ, quarum scelerata propago
Criminibus numquam absistit, diuinaq; temnit
Munera, proculcat leges, & Templa profanat.
Talibus orabat supplex venerata Tonantem
Alma Fides. contra, responsa hæc ille ferebat
Desine tanta queri, dabitur quodcunq; per optas,
Nec mutata mihi retrò sententia cessit,

De

De Solyma quidquid vates cecinere priores,
Et mea progenies hominum sub imagine quidquid
Prædixit quondam veniet, per tela per ignes
Corruet infelix omni spoliata decore.
Romanus rerum dominus dominabitur illi
Sanguinolenta tamen pariet victoria finem;
Romæ autem, quæ te excepit, seruatq; fidelis
Supremam Petri sedem, mihi maxima cura est,
Imperium huic sinè fine dedi, longæua vetustas
Nil contra hanc poterit, nullo vincetur ab hoste.
Hic tibi certa domus semper, domus ipsa sacrorum
Pontificum, mira quorum virtute vigebit
Lex tua perpetuò, supremaq; munera Diuum,
Et verus regnabit amor, pax vera per omnes,
Grata quies, studiumq; boni, rectiq; voluntas,
O quæ Relligio in superos, pietasq; verenda,
O quis erit mirandus honor Cælestibus aris.
Hoc quoquè prædicam dictis tu dirige mentem
Tempus erit quondam multis labentibus annis,
Vt tu cara fides toto accipiaris ab orbe
Regina, hoc aderit, menti hæc sententia constat.
Dixerat, & magna circùm fremuere corona
Læti cælicolæ, quorum sic pectore secum
Fortè aliquis tacito fatur. clementia quanta est
Aetherei Regis, populos, vrbesq; superbas
Promittit Fidei, quanto est succensus amore

Hu-

Humani generis, quantum super astra referri,
Ac homines iungi nobiscum ex optat olympo
Tum dedit aligero Altitonãs hæc dicta ministro,
Christicolum è solymis Coelo qui vota reportat,
Custoditq; vigil. vade hinc Symeonis ad ædes
Qui Solymæ ritus Christi complectitur, & me
Ritè colit, cathedram & fidens conscendit in altam
Diè Solyma Coelo infensa discedat ab vrbe
Cum socijs, montesq; petat, romanaq; Castra
Neu timeant, adero semper, tutosq, reducam.
Dixerat. ille Dei iussis parebat, & Euro
Ocyor ad Solymas venit fulgentibus alis,
Hic, vbi tot scelera aspexit, maculataq; multo
Sanguine iustorum foedè loca cuncta dolore
Ingenti motus vertebat lumina retrò
Postquam iussa dedit. Symeon mandata capessit,
Christicolisq; alijs aperit secreta, leguntq;
Tempora certa fugæ. ad Solymam successerat altam
Intereà Cæsar, turmæ quem mille sequuntur,
Romulidumq; acies complentes vndique valles.
Vix tot Athos folia, & flores tot pulcher Hymettus,
Hyblaq, apes numerat, Regem quot multa virorũ
Millia sectantur. magno sub pondere passim
Armorum tremit, atq; pedum perculsa tumultu
Quadrupedũ, atq; hominũ tellus horrore remugit

Terri-

Terribili, & vastis resonat clamoribus aer.
Tantaq; dum radijs ardens Sol percutit arma
Resplendent latè, & lucem super æthera iactant
Tùm contra muros, Aquilo quà spirat in vrbem
Agminibus dixtincta suis Castra ille locabat.
Vrbs veluti si magna foret, stant mœnia circùm
Prælongis munita hastis, portæq; patentes,
Sunt etiam turres, & fossæ, & strata viarum,
Fixa intus stant mille heroum tentoria passim.
Magni instar templi medium Rex ipse tenebat
Eois diues gemmis, auroq; superbum,
Vndique stant vexilla Aquilas referentia latè.
Talia dùm spectant ciues ex vrbe propinqua
Namq; omnes hostis rumor conscendere muros
Mouerat, ingentes acies, numerumq; virorum,
Armaq; tanta stupent tacitiq; hostilia seruant
Agmina, tùm postes ferrato cardine claudunt,
Neù quando cæsis vrbem custodibus hostis
Improuisus eat. nocuit custodia numquam.
Romulidum intereà multi per prata ruebant
Per syluas, montesq; feras perimuntq; saggittis,
Audebant alij campis discurrere apertis,
Et lustrare locos frugesq; exurere flammis.
Venerat hos inter Pyrrhus fortissimus Hæros
Italica dè gente Padi propè flumina natus,
Vt leo si quando teneros irrumpat in agnos
Excru-

Excruciat dùm sera fames rapit impius omnes,
Vnguibus & frustra pauitantes ore trucidat,
Non secus ille ira, & rabie concussus iniqua
Pastores crudele nefas, inuadit inermes
Acer equo, & frustrà tendentes brachia Coelo,
Et veniam orantes aduersa cuspide sternit,
Nec cuiquam parcit, nec fas euadere mortem,
Obuius huic casu venit quicumq; furenti;
Quamuis confidat pedibus; nam cursibus euros
Vincere posset equo, & volucres superare sagittas,
Sanguine dum tanto iuuenis lætatur agrestùm
Nunc hùc, nunc illùc nimiùm crudelis oberrans
Cædibus attentus semper per amena vireta
Ad ripam syluæ candentem surgere turrim
Prospicit, hicq; hominum voces ducuntur ad aures.
Nunquam sic præceps coelo dimisit ab alto
Se Iouis immensi volucris dùm fluminis vdis
Impauidos astare vadis conspexit olores,
Protinus vt visam Pyrrhus defertur ad arcem
Cæde noua motus, famæq; allectus amore.
Hic aderat lusus inter viridante sub vmbra
E Solymis Perseus, illis qui fortè diebus
Coniugij dum magna noui sub corde foueret
Gaudia, pomiferos, gratosq, aduenerat hortos
Coniuge cũ Fausta, primis quam semper ab annis
Interiore animi cupidus sub parte locarat.

Multi

Multi illis iuuenum comites, multaq; puellæ
Venere, & Solis viridi sub fronde calores
Vitabant, vitreisq; vndis per florida rura.
Hic modò venando, modo plurima voce canendo
Intenti choreis ducebant longa diei
Tēpora, & interdum carpebant munera Amoris.
O hominum mens aduersos procliuis ad actus,
Perseu quid patrios iuuit liquisse penates
Coniuge cumq; tua placidos adijsse recessus?
O tibi quàm meliùs si numquam hæc prata vidēdi
Commouisset amor, quæ te premat, aspice pestis,
Vt miser armatam contra celerare cohortem
Aduertit, veluti ventis agitatur arundo
Ipse metu tremuit, præsensit mente futuram
Infelix augur sortem, tristemq; ruinam,
Nec quid agat notū est, trepidanti animoq; remāsit
Nec memor est etiam turrim super ire propinquā,
Et vellet rapuisse fugā, hæc Timor arma ministrat:
Ast amor in Faustam suadet, cogitq; morari,
Non hanc deseruisse potest, nec passibus æquis
Illa sequi posset fugientem, hùc proximus hærens
Militibus Pyrrhus sæuis comitatus obiuit,
Et prior his dictis Perseum, sociosq; trementes
Increpat. ò læti rerum, nimiumq; beati
Ocia carpentes Veneris, charitumq; choreis
Gaudentes, tandem Martis meliora subite

Offitia, & quantum possit mea noscite dextra.
Dixit, & iratus contorsit comminus hastam
Vi magna in Perseum: medio sed pectore Iosen
Fixit, qui telum frustrà retinere parabat
Opponens sese manibus, ceciditq; repente,
Et moriens atro madefecit sanguine terram.
Non tulit hoc Perseus, qui talia voce profatur
Aduersus Pyrrhum merita concussus ab ira.
Quisquis es ò nostram qui immani crimine pacem
Turbas, atq; audes ferro prosternere inermes
Non te nobilitas generis, non vsus in armis,
Nec pars vlla viri decorat, dedit vbera tigris
Plena tibi, tantumq; nefas docuere Leones.
Nos tamen, ò socij, diri per tela ruamus
Hostis, dè summo forsan præstabit olympo
Auxilium Altitonans rabiem vitare proterui.
Dixit. moti animis cuncti dant pectora pugnæ
Hæbrei, iaciunt alij fera saxa per hostes,
Stipitibus pugnant alij: sed feruidus ense
Pugnabat Perseus, seseq; tuetur ab hoste.
Contrà equites Pyrrhi læthalia vulnera figunt
Nunc his, nunc illis miserè, mortiq; remittunt.
Tres Persei famulos cædunt, Faustæq; puellas,
Pastoresq; alios, ignoto & nomine plebem.
Ex Italis tu, Cosme, cadis, cui tempus vtrumq;
Sat lauro meritum cingi, sed sorte benigna
Man-

Manfredus telo prorsus transfixit acuto,
Et lenire feras, rupesq; mouere iugosas
Carmine qui poteras animã cum sanguine fundis,
Nec te Pierides, nec te citharædus Apollo
Iuuit, & ut Cygnus moriens lachrymabile funus
Plorasti, numerisq; nouissima verba dedisti.
Tu quoque, dum Codro torques reuolubile saxũ,
Quo ruit in terram grauiter percussus in ore
Occidis Ottaui, patiens in gutture vulnus
Cuspide Corcbuti, & frustra miserande reposcis
Coruini auxilium fratris; quia tempore eodem
Dum tibi præstat opem supremas migrat in auras,
Et propè te infelix remoratur inutile pondus.
Vtq, dies vnus vitales duxit in auras
Vos, nec dissimiles facie Natura creauit;
Moribus atq; pares, & votis semper iisdem;
Sic ambos iam sorte pari, quoque tempore in vno
Gutture foedatos eadem vos dextra peremit,
Atq; vt coniunctos tellus, sic forsan olympi
Nunc locus vnus habet, radios noua sydera claros
Tyndaridas veluti spargentes vndique Coelo.
Cæditur Altimerus pariter, fortisq; palæstra
Lælius, & doctus Cythara Tancredus, & Astor
Quo numquam fuerat pedibus velocior alter.
Et dum Marcellus nodoso stipite Celsi
Immensos humeros magno diuerberat ictu

Sternitur exanimis, vultus & puluere foedat
Expertus Manli ferrum, dextramq; potentem:
Ast alios inter Pyrrhus quos ipse peremit,
Perseu dùm sæuo quærit te perdere ferro
Exanguem interimit Faustam, quæ cæde cruenta
Tot comitum deuicta metu tibi iuncta manebat,
Expiransq; viri præsentis nomina nixa est
Tèr clamare sui: at retrò vox ipsa recessit,
Lugentiq; viro morientia lumina flexit.
Vt flos purpureus curuo succisus aratro
Hæc languebat humi, nigraq; in morte placebat.
Perseus vt Faustam crudeli morte peremptam
Conspexit, calido ducens suspiria corde
Sic Pyrrhum alloquitur flammato pectore cæcus.
Immeritò conscendis equum, numeroq; virorum
Te immisces, nec iure quidem tu hæc induis arma
Trux hostis, qui morte viros, facilesq, puellas
Imbelles trudis foedans te sanguine iusto.
O te quàm satius montes, syluasq; deceret
Cum rapidis habitare lupis, aut semper in antris
Degere more feræ, lucemq; horrere serenam;
Sed meritas, scelerate, dabis sub vindice poenas,
Si memor est Coeli Rector fandi, atq; nefandi,
Humētesq; oculos lachrymis super Aethera vertēs,
Tu nostro faueas voto, Deus, hostis vt isto
Ense cadat, victusq; suum me cernat adesse

Victo-

Victorem moriens, inquit, nec magna requiro,
Nec decus, aut laudem: poenas sed sumere posco
Sanguine prò comitum effuso, & pro coniuge cæsa.
Tunc ira exardens Pyrrhus dum tendit acutam
In Perseum totis enixus viribus hastam
Præcipitatur equo, & terræ resupinus adhæsit
Cuspide confracta, ac armorum pondere pressus
Corpore conatur toto consurgere frustrà.
Quem super aggreditur Perseus fulgentibus armis
Et casu miseri disiuncta cassìde apertos
Percussit vultus Pyrrhi, ferijtq; cerebrum
Illius, atq; animam multo cum sanguine traxit.
Vt fera venantum paruo circundata campo
Ingenti numero partes conspectat in omnes
Nec via tuta fugæ, & præsens videt vndiq; lethũ,
Non aliter medio Perseus manet agmine solus
Romulidũ, & spissi vt veniunt ex Aethere nimbi
Quùm pluit, in miserum sic densa hastilia Perseum
Iactantur, gelidus Faustam complectitur ille
Pallentem, & vanum se se defendere credit,
Et manibus palmas, coniungens vultibus ora
Oscula summa dedit Faustæ, perijtq; recumbens
Non vno tantùm traiectus vulnere corpus.
Tunc Itali ingenti moerentia pectora complent
Tristitia, Pyrrhiq; gemunt miserabile funus,
Nec cædes vltrà, nec telis figere quemquam
Exqui-

Exquirunt belli immemores, moeroribus acti;
Atq; ea vel cunctis animo sententia surgit
Vt repetant socios, romanaq; castra reuisant.
Exanimum prendunt corpus, castrisq; ferentes
Ibant præ funus centum, post cætera pubes.
Ludis intereà varijs romana iuuentus
Sese exercebat campo pigra otia pellens.
Curuatis alij celeres infigere neruis
In certa à longè certabant signa saggittas:
Spicula contendunt alij torquere lacertis,
Illaq; trans positam laus est compellere metam;
Corpora nudati sunt qui connexa palæstris
Arte fatigabant forti; simul ordine miro,
Nec desunt pugnam longo qui tramite vincant
Cursibus, & socios linquant post terga sequentes:
Raraq; victori referuntur dona merenti
Quolibet in ludo argenti, flauentis & auri,
Et circumstantes magna stipante corona
Vincenti applaudunt manibus clamore secundo.
Talia Romulidum ex omni dum parte gerũtur
Auditi longè strepitus, quæstusq; fuerunt,
Atq;equitum properare manus ad castra vidẽtur.
Extemplò perculsi animi, gelidusq; petiuit
Omnibus ossa tremor, cunctiq; agnoscere causam
Rumorum exardent, ludiq; relinquitur ordo:
At postquam feretro Pyrrhum videre iacentem
Armis

Armis conspicuum moerent, supremaq; soluunt
Munera defuncto inferijs dè more solutis.
Dein Titus è Castris neù quisquā longiùs erret
In iussus cauet edicto, mortemq; minatur.
Parte alia vt subitis si quando nubibus aer
Vndique conductis crebro resplendeat igne,
Et tonet, ac gelidi horrisono cum murmure venti
Terrestrem certent penitus subuertere molem
Ad loca sueta citæ, timidissima turba, columbæ
Immissæ volita..., inuentaq; semina sulcis
Carpere non audent magnis terroribus actæ;
Non aliter pauidi tantorum cæde petebant
Agricolæ solymam, desertaq; rura relinquunt
Quicunq; hostilem potuere euadere turmam,
Et coram memorant populo quot funera passi
Hostili dextra iaceant per prata coloni,
Quotq; greges cæsi, pecudum quot millia campis,
Et quæ damna hortis, quæ plurima frugibus vstis.
His dictis commoti omnes, iraq; metuq;
Ad varias animum curas retrahuntq; trahuntq;
Nàm ciues alij socios miserantur ademptos,
Exposcunt alij poenas, mediosq, per hostes
Auderent ire, & certæ se opponere morti.
Nec tamen iccircò sæui infestare tiranni
Absistunt Solymos, & trahere ad contraria vota,
Sanguine nec parcunt ciuili tingere dextras,

Tantus

Tantus amor regnandi illis, atq; ardor habendi.
Romanus tùm Rex ſolio ſic fatur ab alto
Conſilio in medio heroum. victoria pulchra eſt,
Pulchrior illa tamen, caruit quæ ſanguine ſemper;
Terrarum atq; ideò, ò proceres, ſpatiata per orbem
Gloria Romani Imperij latè extulit alas;
Inuiti quoniam ad bellum ſuſcepimus arma,
Atq; laceſſiti, & ſubiecto nouimus hoſti
Parcere, cædeſq; hoſtiles horreſcimus vltrò.
Nunc eadem belli ratio ſeruanda videtur
Ciuibus hinc ſtatui legatos mittere ad vrbem,
Qui mea vota ferant, quòd ſi pugnare recuſent,
Et victas Romana manus ad iura volentes
Protendant, bello abſiſtam, incolumeſq; remittam;
Si verò confiſi animis horrentia Martis
Arma ſequi malint, nobis quæ robora noſcent,
Et quæ ſint vires, & quæ experientia belli.
Dixerat, & Regis placuit ſententia cunctis.
Continuò eligitur tàm magna ad munera Ioſeph
Maximus orator, cui maxima copia fandi,
Mellifluoq; lepos prædulcis ab ore fluebat,
Additur huicq; comes bello maturus, & annis
Conſilioq; potens Nicanor & optimus augur.
Iuſſi oratores celerant ad moenia greſſum
Romani ad Solymos Regis mandata ferentes.
Oceani intereà titan madefecerat vndis

Cur-

Currus, & stellas nox vexerat atra micantes,
Quùm rabie horribili Pluto Phlegethonte sub imo,
Ac odio penitus, furiisq; accensus iniquis
Romanos contrà, ad se se fera numina Auerni
Imperat acciri; subitò fremuere cauernæ,
Cocytiq; lacus rauco clangore tubarum.
Surgit in Inferni medio, si verus ad aures
Rumor ijt, montes inter , syluasq; latentes
Arx alta ærato prorsus circumdata muro,
Perq; arcem nigris Acheron dilabitur vndis,
Ferratasq; fores præcinctæ adamante columnæ
Substentant, vigilantq; diù, noctùq; dracones
Custodes, aditum nulli concedere iussi;
His nisi, qui fuerint fidi, notiq; locorum.
Principis hæc nigri sedes, hic ille ministrat
Iura, animæ hic sõtes lacrymãt, tristesq; querũtur,
Hùc veniunt Erebi ciues , hùc ore trifauci
Cerberus aduenit, fumantiq; igne chymæræ,
Et Sphynges, & Scylla ferox, & vasta Charibdis,
Harpyæ, Enceladi centum, foediq; Cyclopes ,
Innumeræq; manus rabidorum terga leonum ,
Atq; canum, & lyncis maculosæ tegmina habentes.
Vt sylua ingenti Boreæ concussa tumultu
Obstrepit, vtq; fremunt fluctus in gurgite vasto
Quùm venti incubere mari, sæuæq; procellæ;
Regia sic strepitu venientum obmurmurat Aula;

C Con-

Conticuere tamen cuncti, quùm voce sonora
Tartareus Princeps alta dè sede profatur
Emittens oculis flammas, ex ore fauillas.
Inferni proceres coelestia numina quondam
Digna polo regnare, ingens quos casus ab Astris
Hùc miserè latebras mecum detrusit ad imas,
Hìc vbi perpetuos ignes, hyememq; perennem
Iussit ferre Deus, poenæ fecitq; ministros.
Hos inter lucos, interq; horrentia claustra,
Quiq; colunt Christum Coeli promittit honorem,
Quamuis sint putri ex terra, limoq; creati
O scelus infandum, sed quid tamen ista reuoluo
Si vobis sunt nota satis, sortemq; nefandam,
Sæpiùs & casus mecum doluistis acerbos?
Non his tempus eget lamentis, altera surgit
Causa potens, aliæq; premunt mea pectora curæ;
Romanos etenim nostis quo tempore primùm
Iura sacræ Fidei Capitolia ad alta vocarunt.
Vt sequar infensos odijs, vt perdere ferro
Inuisum genus exoptem, & crudelior ira.
Vsq; magis creuit; quoniam labentibus annis
Affore præmeditor tempus, quo tela capessant
Prò Christo, Christiq; Fide, subigantq; potentes.
Imperio Fidei populos ex omnibus oris.
Nunc quantas peditum turmas, equitūq; Cohortes
Romanus Princeps Iudææ adduxit in oras

Vidi-


Vidimus exitio Solymæ, vincesq; superbus
Inter se quoniam solymi ciuilibus ardent,
Et certant odijs, & vix obsistere curant
Aeneadas contrà, summo hinc mea victa dolore
Mens nescit requiē, & semper male firma vagatur,
Romano sedenim Solymis quàm magna subactis
Gloria erit, quales Romæ quærentur honores?
Quarè vt triste omen tenues vanescat in auras,
Vestrum opus exquiro nostris ò sæpè fideles
Consilijs Erebi Ciues, iam sumite tela,
Atq; faces, irasq; nouas, & mille parate
Et tentate modos, certasq; inducite fraudes,
Vt solymi inter se dextras, & foedera iungant:
Romanos contrà coeant, fortesq; resistant.
Nec minus intereà romana per agmina tristes
Cædes, ac odia, & sæuissima damna feretis
Absistant donec cæpto, indecoresq; recedant.
Ignis vt in syluis, prudens quem rusticus altis
Imposuit tacitus primò nemus vrit: at inde
Crescit in immensum, flammasq; emittit olympo
Vi magna gelido Boreas si spiret ab axe;
Sic nigri manes tacita quod mente fouebant
Romanos odium contrà nunc eccè resurgit,
Maioresq; capit vires his vocibus vltrò.
Quilibet, ò mirum, studio commotus eundi
Aestuat, exponitq; nouis se pectore firmo

Offitijs, Solymosq; omnes accendere ad iras
Aeneadas contra, atq; dolos serere vndique castris,
Sed tamen hos inter cunctis immanior vna
Turpis erat piceo spectanda sub ore Megera
Luminibus toruis, ægroq. micantibus igne,
Cui centum horrendi stridebant tempora circùm
Collaq; nectebant angues, humerosq; premebant,
Sanguineoq; nigros artus circundata amictu
Sulfureis facibus palmas armauerat atras,
Vipereum hæc caput excutiens, flammasq; nigrãtes
Dentibus infrendet, vocemq; extollit in altum
Non vobis non, ista mihi commissa ferantur,
Hæc mihi debentur, socij, haud ignara malorum
Per fora, per ciues, perq; aspera castra paraui
Mille dolos, pacemq; scio compellere ad arma,
Mille iacent per me Hæroes, Regesq; Ducesq;
Mille iacent miserè turres, vrbesq; superbæ.
Est animusq; mihi, & vires, & magna potestas
Fraudibus, atq; armis totum subuertere mundum.
Non ignota loquor siquidem; namq; omnia nostis,
Offitiumq; meum sat vos laudasse recordor
Sæpè, & victricem è terris rediisse probastis.
Nunc mihi mens eadem superest, furor imminet idẽ,
Vna ego sat fuero sæuum inflammare Simonem,
Ioannemq; ferum, & Solymos ad bella superbos,
Romulidas contrà vnanimos, & iungere dextras,

An-

Angues immittam, & bellantũ in pectora flamas,
Ad pugnam impellam cunctos, atq; arma ciebo,
Romanosq; dolis ipsos agitabo furentes.
Rex Erebi assensit iactanti talia voce,
Assensere omnes pariter, tùm à nocte profunda
Ingens discessit Monstrum, vaditq; per auras,
Et mare præteriens magnum, terrasq; iacentes
Ad loca iussa Noto fertur, Solymæq; propinquat,
Et se Melchisedeci transformat in ora.
Struxerat hic Solymas quondã dùm vita manebat,
Regalesq; habitus, auro claramq; coronam
Induit, & speciem informem, foedamq; reliquit,
Ioannisq; celer sedem peruenit in altam,
Inq; Ostro hic stratum, magnisq; tapetibus illum
Vt vidit toto perflantem pectore somnum
His tacitum horrendis compellat vocibus vltrò.
Quid somno indulges adeò? nunc eccè resurgit
Oceano Thalamis Thitonum Aurora relinquens,
Surge age, rumpe moras, armis inuadere Turmas
Aude Romulidum, turpes expelle timores,
Quid stas? quid tantum cessas? tu prima capesses
Tela manu, per tela Ducem te quisq; sequatur
Pugnandi venisse diem quùm noueris aptum;
Ipse Simon tibi iunctus erit, tu iunctus ijsdem
Esto animis illi, & Solymam defendere ab hoste
Romano vigilate ambo, labor iste per omnes


Sur-



Surgat, ab his longè Romanos pellere regnis.
Author ego Solymæ, Superum hæc dè sede reporto,
Cura Deum Solyma est, magnoq; accepta Tonanti.
Ni facias tanto expendes pro crimine poenas.
Dixerat. acceptat Regis Dux iussa proterui,
Ioannes, verùm conanti dicere plura
Auulsum Furia extortis de crinibus anguem
Iniecitq; facem per pectus, & intima serpens
Viscera nigra lues furiales excitat iras.
Hìnc alios adijt Solymos, & mille per artes
Iras exercet monstrum, completaq; credens
Ditis iussa ferì, romana per agmina vadit
Obseruans tempus damnis, & fraudibus aptum.
Ioannes demum surgit, somnoq; solutus
Attonito similis, quem fulmina sæua Tonantis
Percussere stetit, paulòq; immobilis hæsit:
Ast dein qualis Equus stabulis qui vincula fregit
Indomitus Coelum varijs binntibus implet
Per iuga, perq; imas valles furibundus oberrans
Itq; reditq; vlulans, & secum multa reuoluit
Sanguineis oculis, feruentiq; ore furorem
Infernum pandens teli genus omne reposcit.
Arma tèr arma vocat, loryca protinus hamis
Conserta auratis muniuit corpus, & ense
Accinsit sese valido, cristisq; superba
Ipse caput galea nectit, manibusq; resumpsit
Hastam

Hastam, qua Solymis multos prostrauerat antè.
Atq; animo retrò Aeneadum cædentia Castra
Disiectasq; Aquilas miserè, vinctosq catenis
Antè triumphales currus procedere cernit
Hesperios Reges, & honorem fingit inanem.

Finis Libri Primi.






IO. PETRI DE ALEXANDRO

IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI.

HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER SECVNDVS.



AM tandem croceis inuecta Aurora quadrigis
Sydera clara polo, humentesq; remouerat vmbras.
Otia mortales expellũt grata quietis,
Sollicitus pastor pecudes ad pascua ducit,
Ruricolæ assuetos iungunt ad aratra iuuencos,
Et littus solitum, & notas piscator arenas

Reti-

Retibus, atq; hamis repetit præcinctus aduncis,
Impiger arma capit miles, gaudetq; videri
Se primum ante Ducem, hostesq; irritare morãter.
Christicolum glomeratæ acies discedere iussæ
Diuino monitu è solymis sacra numina Templo
Assueto sacris ità supplice voce precantur.
Coelicolum Rector mentem direximus ad te
Vnanimes, vniq; tibi confidimus omnes,
Nec spes vana quidem, nec deludemur ab hoste:
Nàm qui te sequitur non vllo errore trahetur,
Crimina quiq;gerunt, propria illos crimina perdũt.
Pande iter alme tuum, genitor, tùm robore firmo
Per fidei nos ire vias ostende precamur.
Tu nobis optata quies, via certa salutis,
Parcere quodq; tuum est semper reminiscere tandẽ,
Errorumq; tuam capiant obliuia mentem
Nostrorum, quibus acta fuit malegnara iuuentus.
Sis memor ò nostri, per te bona cuncta volentem,
Per te, perq; tuum sanctum, & venerabile nomen:
Sed quid? melliflua Deus est dulcedine plenus,
Et bonitate potens, ideò mortalibus ægris
Succurret, mites & recto tramite sistet.
Cana Fides, & rectus amor, spes fida Tonantis
Sunt gratæ, facilesq; viæ, & clementia verax.
Foelix, ò nimium foelix, cui semita tantum
Recta Dei placuit, foelix qui pectore ab imo



Aethereũ celebrat Regem, hic dominabitur Astris,
Seruiet huic tellus, & pleno copia cornu
Afferet omne bonum, coeliq; arcana patebunt.
Nos verò tibi, magne parens hominumq; Deumq;
Hæremus, tu solue tuos, & vincula rumpe,
Respice nos Coeli Rector rerum omnium egenos,
Respice quot patimur, quantoq; sit ægra dolore
Mens nostra, & quanta penitus modò percitus ira
Insequitur nos hostis atrox, miserere tuorum
O Domine, & mala nostra fuga, & coelestibus oris,
Diuinos inter coetus, aciesq; beatas,
Has animas, nostras animas dignare rogamus.
Tùm sacer antistes Symeon successit ad aram
Auro fulgentem, & gemmis, & lampade multa
Relligione potens, & seruantissimus æqui.
Conticuere omnes, circumq; immota tenebant
Ora viri, supplex numen rogat ille supernum,
Aeternum numen labentem desuper Auram
Sanctam Auram, communẽ Aurã natiq; Patrisq;
Et pia toto animo diffundens murmura presso
Ore Deum precibus, verbisq; potentibus ipsum
Aduocat ò mirum, venit Deus ipse vocatus.
Coeleste incrustum, & donum memorabile Noæ.
Sed postquam precibus finem, sacrisq; litatis
Imposuit senior, dixitq; nouissima verba.
Ipse cibis pauit populum coelestibus omnem.

Tum

Tunc ex Aligeris prospectus adesse ministris
Vnus, & has illis voces effundere coram
Maturate fugam, Solyma discedite ab vrbe
Ipse adero, & circum nebula vos vndique septos
Porticibus tutis, & per secreta reducam,
Nesciat vt gressus vestros hæbrea iuuentus.
Dixerat, atq; viæ accingunt sese agmine longo
Christicolæ, & nullis visi, mirabile dictu,
Moenibus exierant longè post terga relictis.
Cuncti concordes animis dein voce canebant.
Est domini terra, & quidquid terram implet, & orbis
Terrarum, terramq; habitant quicunq; per ipsam,
Quam stabilem fluuios inter, pontumq; locauit.
Quis tamen ascendet celsi super ardua montis,
Ingentemq; locum Domini bipatentis olympi?
Qui scelerare manus iustorum sanguine parcit,
Nec gaudet sæuis animum foedare rapinis,
Et fraudes, atq; omne nefas è corde fugauit.
Foelix, ò nimiùm foelix, qui tanta meretur.
Eia aperite fores, Coeli, qui voluitis orbes;
Ingredietur enim Diuumq; hominumq; creator.
Aeternas, quid statis adhùc? attollite portas;
Nàm cui fas mortem certo superasse duello,
Et dura licuit Ditem vincire catena
Intrabit, cui verus honos, & gloria iuncta est.

Talia sæpè iterant illi, variantq; vicissim,
Alternantq; chori voces, turmæq; sequentes.
Tunc addunt. Summi dominum de culmine Coeli
Laudate angelici coetus, aciesq; supernæ
Sol, qui terrarum radijs opera omnia lustras,
Et noua crescendo reparas quæ cornua Phœbe,
Luminaq; & stellæ noctis decora alta silentis,
Regiaq; Empyrei sedes, crystallina sedes,
Fluminaq; astrifero latè labentia Calle
Laudate insignem dominum. verbo ipse potenti,
Et solo nutu Coelestia Regna creauit
Iura ferens nullos non duratura per annos.
Aequore qui medio pisces traducitis æuum,
Et vos, quæ leuibus percurritis Aera pennis
O volucres, armenta simul, sæuiq; dracones.
Qui reptatis humi, colles, montesq; superni,
Lignaq; fructifera, & cedri benè semper olentes
Perpetuò domini nomen celebrate decorum:
Sed tamen ante alios, & tu super omnibus vnus
O homo multùm illi debes, tibi cessit habenas,
Et rerum latè imperium ratione carentum,
Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,
Is dedit os sublime tibi, coelumq; videre,
Coelestesq; domos olim super ire nitentes.
Talia Christigenæ recitant, vallesq; propinquæ,
Et resonant montes passim, collesq; resultant.

Iamq;

Iamq; oratores Regi responsa ferebant
Romuleo è Solymis, & coram dicere iussus
Principibus belli, & vulgi stipante corona
Facundus Ioseph placido sic ore profatur.
Iuimus, hæbreisq; feris patefecimus ipsi
Consilio in medio hæroum, magnoq; senatu
Rex animum generose tuum, nunc aspera fando,
Nunc humiles voces, interdum multa rogamus,
Miscemus quandoq; minas, ceù tempora poscunt.
Et nunc germanos, & nunc Garamãtas, & indos
Et poenos astu, & præclaros robore gallos,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos
Romano cessisse Duci memorauimus, & nè
Exempla externis tantùm quærantur ab oris
Addimus, & Gesarã, Gadarã, Gamalãq; subactas
Romanis, Ioppenq; ijsdem cecidisse sub armis,
Iotapatæ excidium, expugnataq; moenia Iaphæ,
Atq; Taricbæas victas narrauimus illis,
Samariæ & populos cæsos, stupefactaq; multo
Flumina Iordanis retrò properasse cruore:
Sed nil successit voti, quia vidimus omnes
Inter se fremere, & nostras contemnere voces
Vnanimes, & malle mori dixere sub armis
Moenibus in patrijs; quàm foedera pacis inire,
Aut Italis aliquo se se submittere pacto:
Tam proprijs ciues confidunt uiribus, & tàm
Exter-

Externis populis, qui vrbem dè more vetusto
Iam dudum venere, sacri vt solemnia festi
Concelebrent læti, sic consueuere quotannis,
Imperium quoniam primæui luce sub ista
Effugere Aegipti salsas impunè per vndas
Siccis, vt fama est, pedibus potuere parentes:
Dixerat orator. magnamq; accensus ad iram
Quod cupiunt hoc obtineant Rex Italus inquit,
Hæbrei, bella, & cædes patientur acerbas;
Foedera despiciunt quoniam, pacemq; recusant.
Ite igitur vos per syluas, montesq; per altos
O iuuenes, nemorumq; alacres concidite ligna,
Ferte citi, vt surgant hìc propugnacula belli,
Plurimaq; è cunctis fabricetur machina syluis.
Destructura domos Solymæ, murosq; ruentes.
Ceù si olim mandet lemno accelerare Cyclopes
Mulciber vt struerent supremo tela Tonanti
Ocyus attendunt, nigra & fornace laborant;
Non secus Aeneadæ quidquid Rex iussit ouantes
Expediunt, ac instrumēnta, & mille secures,
Et dolabras, atq; arboribus satis apta ferendis
Plaustra legunt, plaustrisq; assueta animalia iugū,
Armataq; manus iuuenum comitantur euntes
Fabros, aduerso nè quid patiantur ab hoste.
Per iuga, per valles tantum loca nota ferarum
Procedunt, celeriq; gradu nemus inter opacum

Venere,

Venere, ignotum pecori, timidisq; colonis;
Roboribus summis ab humo diuellitur arbos;
Quercus amica Ioui ruit, & pulcherrima pinus,
Cæsa abies, semperq; Austris illæsa Cupressus
Procumbit, vitisq; comes proscinditur vlmus,
Alnus grata mari, bellisq; accomoda cornus
Concidit, & colubris infesta fraxinus vmbra,
Terræq; acclinans intonsa cacumina Taxus
Lethalis strepit, & gemitum rumore cadentum
Syluarum tellus latè dedit, inde volucres
Absiliunt pauidæ, & sobolem, nidosq; relinqunnt.
Tùm quoque vicinos montes, nemora inuia fauni,
Syluasq; vmbriferas Statyri fugere bicornes;
Intima namq; metus gelidi præcordia serpunt,
Nec certa datur ire via, peregrina sequuntur
Quæ loca cunq; timor monstrat, cura vna fatigat
Omnes, quantumuis prospecto abscedere casu.
Talia dùm curant Itali, ad regalia tecta
Ioannes vocat hæroes, venere vocati,
Venit & ipse Simon furia stimulatus eadem
Obstare Aeneadis, & patria linquere bella.
Tunc ait, & proceres arrectis auribus astant.
Non satis est, Solymi, firmatas fœdere dextras
Romanos contrà, & latij spreuisse tiranni
Legatos, illum se nunc ad bella parare
Aspera credendum est, & nos confidere muris
Vrbis.

Vrbis præualidis, & tantùm turribus altis
Dedecet, & placida tutos requieſcere in vmbra;
Quandoquidē magis, atq; magis vigilantia prodeſt
Ordoq; militiæ, & varium manimen in armis.
Per multos Solymæ ſic res creuere tumultus,
Incenſam victrix Troiam ſic Græcia vidit.
Moenia nos, fateor, cingunt Solidiſsima: turres
Vndique ſtant muris altæ, numerusq; virorum,
Telaq; multa vrbem tutantur: at omnia vincit
Ordo bellorum, atq; Duci parere neceſſe eſt
Omnes, ac vnus cunctis hic præſit, ab illo
Pendeat omnis, & imperio regat ille ſupremo.
Ioannes hæc dicta dedit, tunc vocibus altis
Hunc voluere Ducem Solymi, primuſq; vocauit
Ipſe Simon, belloq; altè quocunq; iuberet
Promiſere manus elatas. ipſe recepto
Munere militibus placido ſe præbuit ore.
Hæbreos inter non hoc crudelior alter
Non aſtu potior, magna huic in corde voluptas
Sanguinis humani, ſcelerumq; innata cupido.
Tum iuſſu Ducis omnigenis ad moenia telis
Innumeri aſcendunt, muro & ſpeculantur ab alto,
Nè ſubiti veniant hoſtes, maioreq; portis
Aſsiſtunt vigiles numero, commiſſaq; ſeruant
Aſſueti nimium, tacitiq; ſub æthere aperto
Non curant alto ſubmittere lumina ſomno.

Saxa

Saxa gerunt alij ad turres, munitaq; longè
Moenia confirmant iterumq;, iterumq; ministri.
Intereà manus eccè Italũ, qui ad Castra redibãt
Ligna exportantes, manibus post terga retortis
Christigenas, Solyma qui iam fugere trahebant
Ad Regem, esse etenim hostili de gente putabant:
Ille autem populos vbi tot conspexit inermes
Captiuos, qui sint rogitat, qua vè vrbe profecti,
Quiduè petant, Solymæ auxilio num fortè venirẽt.
Talia cui posita Symeon formidine fatur
Antistes, merito Regem veneratus honore.
Inclyte Rex Regum proles inuicta parentum
Nos fugimus Solymas, monuit sic Rector olympi,
Iudæis hostes, nàm quem profitemur ouantes
Occidere Deum authorem terræq; poliq;
(Heù recolens cogor lachrymarum effundere riuos,
Atq; illis ideò exitium, miserasq; ruinas
Nunc superesse scio, & Solymæ miserabile funus
Quod fore prædixit certæ dux ille salutis
Ille Deus vero ille Deo generatus IESVS.
En dictis manifesta fides, per inane volantes
Aethera non nè vides currus, aciesq; supernas?
Portenta hæc cladis Solymorum certa futuræ.
Nec frustrà didici cælestia noscere signa.
Hæc senior. tùm Rex stupefactus imagine rerum
Tantarum, extemplò manicas, atq; arcta leuari

Iilis vincla iubet, funditq; has pectore voces.
Quis Deus iste tuus, quis cuncta creauerit author.
Et terras, tractusq; maris Coelumq; profundum,
Et quod venturum hæbreis prædixerit olim
Excidium, & Solymis demum quæ funera passus
Ille fuit, memorare velis ex ordine nobis,
Clariùs hæc etenim non ignorare iuuabit.
Tunc Symeon fidens animi, tua iussa capessam
Rex, ait, & summi testor sacra numina Coeli
Si referam modò vera sequens fastigia rerum.
Non vt graius homo tenebrarum horrore grauatus
Credidit æterna est perituri machina mundi;
Illum olim Altitonans miro ordine namq; creauit,
Aera & è Cælo dixtinxit, ab æquore terras,
Et stellas posuit, maioraq; lumina olympo,
Aerjisq; plagis ventos, pictasq; volucres,
Piscibus & pontum innumeris sub lege repleuit,
Nè quando insanis tellurem vinceret vndis,
Nec non terrestrem centum per flumina molem,
Per montes, vallesq; imas, syluasq; diremit
Fructibus, & f[illegible]lijs ipsam decorauit & herbis,
Innumerasq; fer[illegible] iussit, pecudesq; vagari
Insuper, & passim [illegible]arios decerpere flores.
Omnibus his hominem propria sub imagine factum
Addidit, & sociam cunctos huic iunxit in annos
Ossi-

Ossibus enatam proprijs, vt maximus orbis
Prole foret multa, serisq; nepotibus auctus,
Quos terræ fecit dominos, auiumq; marisq;
Quin dedit his animum, Cæli quo scandere sedes,
Et valeant sæuum Lachesis vitare furorem.
Nec contentus eo, magno succensus amore
Felices hortos, placidosq; habitare recessus
His dedit, vt tutam possint traducere vitam;
Nam locus est nostris longè seiunctus ab oris
Proximus eois oriens quem spectat in agris
Ante omnes, radijsq; suis exornat Apollo.
Sunt vbi perpetui fructus, floresq; perennes,
Aurea poma simul rubras imitantia gemmas,
Hìc citri præbent vmbras, lauriq; virentes,
Atq; hederæ semper virides, & myrtus odora,
Vndique pallentes violæ, casiæq; thymiq;
Lilia suntq; rosæ passim, vacinia, calthæ,
Quæ æternos, placidosq; solent emittere odores.
Vndique desudant quercus fragrántia mella,
Sponte sua tellus gignit sinè vomere fruges,
Nec lolium infelix, steriles nec nutrit auenas.
Non hìc chrystalli fontes, nec flumina desunt,
Quæ placido cursu sacris labuntur in hortis.
Hìc propter dulces vmbras, & propter aquarum
Murmura mille canũt semper sub fronde volucres.
Non nocet hìc æstus, quamuis crudelius Astrum

Emicet in Cælo canis, & nec tempora brumæ,
Non Boreas, nō ira Noti, truculentus & Eurus
Hìc perflant; Zephyri at solùm felicior aura;
Nec pluuias, rigidosq; imbres armatus Orion,
Nec tempestates, nec fulmina sæua minatur
Tempora perpetui tandem hìc sunt florida Veris.
Patribus has sedes primis habitare beatas
Cesserat omnipotens, Cæli qui temperat axem,
Et quoscunq; velint fructus, floresq; rubentes
Ipsorum votis largè submisit habendos,
Nec vetuit quidquam: sed mystica tangere poma
Nè auderent vnquam præcepit ab arbore vitæ
(Arbor erat medio sacrato consita Campo.)
Non fuit humanæ sors hæc incognita gentis
Plutoni, qui sulfureis Acherontis in vndis
Inuidia motus foedo sic ore profatur
Ardentes oculis emittens vndique flammas.
Ergò ego, qui quondam candentia sydera Cæli
His pressi pedibus, nec non cælestis origo
Cui fuit, & similis facies speciosa Tonantis
Exul inops, turpis, nigra caligine pressus
Ad sedes numquam cogor remeare supernas;
Sed mala perpetuò ferre, horrentesq; latebras?
Atq; homo iam dudùm terra formatus in ima
Ex humili, putriq; solo felicia semper
Tecta colet Superùm decoratus imagine Regis?

Non

Non erit hoc equidem, & rabie concussus iniqua
Immanis serpens vetita de fronde parentem
Hortatur falsum cælans decerpere fructus,
Assentit decepta parens, diutnaq; iura
Soluit, & ignaro iussit quoque prandere poma
Prælibata viro mulier, sic factus vterq;
Est reus (ò miseros nimiùm læsura nepotes
Culpa patrum nullos non duratura per annos.)
Hæc nouit Cæli Rector, tùm iussit Adamum
Atq; Euam, veterum fuerant hæc nomina patrum,
Sedibus auriferis, Sanctaq; recedere terrà,
Aerumnasq; inter miserè, tristesq; labores
Viuere, & annosam letho subsistere vitam,
Serpentiq; refert verbis, quibus imperat Euro.
Optasti dudùm motus furialibus ausis
Ponere iura polo, superamq, ascendere ad aulam
Incola dum Cæli fueras; sed iniqua cupido
Te frustrà audacem fecit, penitusq; fefellit;
Namq; animo, scelerate, tuo quàm magna petebas,
Infima tàm meritò iussit clementia nostra
Te loca ferre nigris Erebi subiecta cauernis,
Cumq; tuis socijs Cæli deiectus ab oris
Primæua è specie tetra es mutatus in ora.
Inuide nunc iterum quæ te dementia cæpit?
Coniugibus quid bella nouis fraudesq; parasse
Te iuuat incautis? nostra sinè meute creatos
Forsi-

Forsitan hos credis, nec nos curare creatos?
Falleris, ex istis etenim labentibus annis
Innumeri venient populi, terrasq; replebunt,
Hoc genus, hoc mihi namq; placet dominabitur
Astris,
Huicq; dabo vacuas sedes bipatentis olympi.
Neù nocuisse satis credas quòd foemina simplex
Sit decepta dolis, eadem te supprimet olim,
Tùm vicisse nihil, teq; ipse fatebere victum.
Indè abijt serpens, latebrosaq; Regna reuisit
Dum fore se victum, præda cognouit ab ipsa.
Patribus intereà è primis numerosa propago
Gignitur, innumeros gignitq; propago nepotes
Ex his proueniunt stirpes, populiq; potentes,
Atq; rudes nouere domos tum condere in agris,
Inde colunt vrbes, reparantq; has moenibus altis,
Et mauros alij campos, septemq; trionum
Arua colunt alij, Euphrates sunt littora circùm
Innumeri, atq; alij hesperias iuere per horas,
Sic tandem augetur latus mortalibus orbis
Post longum tempus, post plurima sæcla peracta.
Atq; vbi creuerunt gentes, ars cuncta reperta est,
Nam campos alij colere, & committere terris
Semina nouere, & tauros frænare superbos,
Atq; alij ad Cælum didicere attollere moles,
Saxaq; præualidis norunt super addere saxis.

Stella-

Stellarum motus alij, solisq; labores
Noscere sunt ausi, pluuiasq; referre futuras,
Sudarunt alij rerum cognoscere causas,
Cur stabilis Tellus esset, cur mobilis vnda,
Cur eat, & redeat nullo discrimine tempus,
Et benè quo ingentis tractetur machina mundi,
Naturam placuitq; alijs æquare potentem,
Dùm pingunt homines, formasq; coloribus addunt,
Marmore siuè virùm designant membra nitenti,
Mulcebant alij grata testudine mentes;
Ast alios iuuenes agitabat gloria belli,
Sic varijs studijs traxit sua quemq; voluntas.
Gentibus vtq; fuit mundus, sic artibus auctus
Tùm fuit: at cum regnarent scelera vndique in orbe
Imbribus inductis mortales perdidit omnes
Rex Coeli non immerita compulsus ab ira.
Perdidit & pecudes, etiam volucresq; ferasq;
Sed tamen è quauis specie pecudumq;, virumq;
Hũc seruasse aliquot, referunt; genus vnde resurgat
Cuiq; suum, tellusq; foret gente aucta recenti.
Nec mora longa fuit, siquidem mirabile dictu,
Quùm subitò clarusq; aer, lapidosaq; tellus
Omnigenis auibus passim, gregibusq; virisq;
Excrescunt, sic alta Dei clementia iussit,
Dein turres, arcesq; nouæ, & sublimia tecta
Passim instaurantur superis dilapsa ruinis,

Vrbes

Vrbes conduntur, leges, & iura feruntur,
Pluraq; Regna orbem complent, Regesq; creantur,
Qui regerent, populosq; sua ditione tenerent.
Et qua Sol oritur, qua vespere lumina condit
Quauè nocent æstus nimij, & qua frigora in ora
Thura Dei dant sacra focis, altaria fumant,
Quæ propè cæduntur tauri, lectæq; bidentes
O quæ Relligio, quæ tunc reuerentia Cælo
O quæ vera fides, ò qui super omnibus vnus
Verus amor fuerat, diræ procul horrida Cædis
Bellorumq; ferox, scelerumq; indigna cupido
Longè erat, argentiq; fames, atq; ardor habendi.
Quid tamen hoc iuuit? Lustris labentibus ætas
Processit, qua non fuerat crudelior vlla,
Hæc tulit omne nefas, duxit genus omne malorum,
Discessit pietas, discessit cura Deorum,
Atq; amor in patres, fraterno sanguine frater
Gaudebat scelerare manus, natusq; parenti,
Et pater audebat nato perstringere ferrum.
Vndique lugebat pecudes vi pastor ademptas,
Deflebantq; viri temerati crimina lecti,
Nec quamuis iram cæli, summiq; Tonantis
Nouissent, pœnasq; graues, magnasq; ruinas
Miserit Altitonans mutabant pectora gentes.
Crimina quin adeò totum creuere per orbem,
Vt gens grata Deo, Templis quæ sacra gerebat

Sæpè

Sæpè iacebat humi puras iugulata per aras
Ah quantum exultat Pluton dùm talia ſpectat
Criminibuſq; orbem iacuiſſe, pòloq; rebelles
Eſſe homines, Erebiq; impleri manibus oras.
Nec non Alecto gemina comitata Sorore
Ora ferens ſemper nigro ſuffuſa veneno
Hùc, illùc errat, diros, & gnara furores
Mentibus humanis, funeſtaq; vota miniſtrat.
Tùm Diuum genitor ſecum tot crimina verſans
Humanumq; genus ferri ſub tartara Ditis
Primorum infectum patrum radice malorum,
Criminibuſq; nouis auctum ſic ora reſoluit.
Heù quanta humano generi mala dira tulerunt
Primæui patres, vetitos dùm prandere fructus
Sunt auſi; hìnc omnis labes, hinc ſordida cuncta
Venerunt, nemo hìnc patrias exoptat olympi
Excelſas ſedes votis oppreſſus iniquis,
Ianitor hinc Orci innumeros Phlegetõtis ad vndas
Immittit manes, gratas ſub tartara prædas,
Ergò quò vſq; feram? rurſus nùm perdere gentes.
Imbribus incipiam? Cæli nec ſcandere ſedes
Permittam vacuas? non ſic. ſtat mente repoſtum
Iuditium ſeruare viros, bellare ſuperbum
Plutonem, & manibus prædas auferre malignis
Vtq; fuit mulier primorum cauſa malorum,
Sic orbi mulier primæ ſit cauſa ſalutis,

Plutoni & frangat vires, ausosq; nefandos.
Hæc vbi dicta dedit, magnum inspirauit amorem
Pectoribus superum Genitor, tum quisq; reponit
Cælicolum veteres iras, & vota superni
Quisq; probat Patris, sociosq; exultat olympi
Affore mortales effractis viribus orci.
Aligero tunc ista Deus dat iussa ministro.
Hæbreas inter pulcherrima Virgo puellas
Nazareth MARIA est Dauidis germine nata,
Huicq; intacta manet nullum violanda peræuum
Virginitas, sit sponsa seni licet illa marito,
Non hæc terrestres, mundi nec curat honores,
Et suprà angelicos coetus regnare meretur
Vna hæc præ cunctis, terrarum quas tenet Orbis
Concipiat sacrum non tacta numen in aluo
Mente mea genitam Sobolem mihi tempore longo.
Hæc virgo ætherio pariat de semine prolem,
Quæ genus humanum seruet. tu fide reporta
Hæc illi mea vota celer. volat ille per auras,
Et suprema refert MARIAE mandata Tonātis.
Continuò ruit ecce voluta liquentibus Astris
Aura potens, Deus ipse potens se miscuit aluo
Virginis afflatu ingenti, mirabile dictu,
Qualis vbi è Coelo nebulæ si fortè fugantur,
Lumina quæ dudum cælarant candida Phæbes
Splendidior solet illa viris spectantibus esse;
Pul-

Pulchrior haud aliter potuit tunc virgo videri,
Quùm sanctos certè conceptus nouit in aluo,
Quæ assiduè exultans accedere tempora partus
Optat, promissam vt Sobolem spectare valeret,
Hæc illi semper cupidè gratissima inhæret,
Hanc videt, huic blanditur ouans, huic oscula libat,
Sic curas animi, & labentia tempora fallit,
Iamq; dies aderat partus, nec passa dolores
Virgo Deum peperit hominum sub imagine tectum
Hoc nascente dies rediit, nox atra recessit,
Quadrupedesq; Deum nouere, ipsumq; salutant
Qua datur, angelicæq; manus testantur ab alto
Clara voce Deum, pretioso & munere Reges
Extremi Aethiopes cumulant, humilesq; fatentur
Regem, qui Cælo, & terris dominetur, & vndis.
Nec minus ipse Deus præclaro nomine IESVM
Appellatq; Deum Deus ipse bis ore supremo,
Acceptusq; Patri natus Deus ipse parentem
Aequæuum sæpè alloquitur. miracula rerum
Sunt testata Deum; potuit quia reddere vires
Aegris, & vita functos animare iacentes,
Et longè humanis Furias detrudere iniquas
Corporibus, tàm magna illi, tam mira potestas.
Quis diuina tamen poterit præcepta referre
Quæ dedit, vt redigat nos ad cælestia Regna
Precepta à seris seruanda nepotibus olim?

Tu Solyma, ah Solima vrbs quõdã gratissima Cælo
Et quæ digna Deo soluisti præmia tantis
Prò meritis? Tormenta, Crucẽ, & miserabile funus.
Heù crudele nefas, nec te Deus ipse profundo
Immersit barathro? Sed quid? pro crimine tanto
Expendes meritò penas, quas antè minatus
Est Deus ipse tibi, quàm tristia funera ferret,
Hinc olim tristi aspiciens ad moenia vultu
Pectore dùm Solymæ meditatur crimina secum
Ille hæc dicta dedit. Scelerũ domus aucta nefandis
Criminibus, quæ ad templa Deos veneraris iniquos,
Vatesq; occidis sacros, numenq; verendum
Respuis, atq; Deum vero de lumine lumen
Mente fugas tota magnas patiere ruinas,
Et dextra hostili penitus prostrata iacebis.
Sed postquam perijt ligno suspensus IESVS
Obstupuit visu tanto radiosq; represit
Auricomus Titan, lucemq; diemq; perosus
Occuluit faciem, & nigra caligine Luna
Moesta fuit, longè & tellus tremefacta remugit.
Tertia lux verò vt redijt sacra mẽbra resumpsit
E tumulo dominus, rupitq; ferecia mortis
Vincula, & infernum ferrata compede Regem
Strinxit, & æthereas victor remeauit ad oras
Ex Erebo manes secum, spolia ampla reportans
Cælicolum turmis latè comitatus, & alto

Con-


Consedit solio ad dextram Genitoris, & Aura
Sancta Aura à læua assistit, numeroq; sub ipso
(O res mira) Deus Deus vnus, & vna voluntas.
Sub pedibusq; tenens Phœbum, fulgentiaq; Astra
Cogit naturam, & solo regit omnia nutu.
Ast olim veniet tempus, quùm machina mundi
Corruet immensi nigris accensa fauillis,
Tunc Deus ipse Dei proles certissima IESVS
Ad terras iterum Cælo descendet ab alto,
Præmia digna bonis soluens super ardua Cæli
Sydera, & æternas inferni fontibus vmbris
Penas, iustitia, tùm maiestate verendus.
Quòdq; sumus, quòd spiramus, quòd vincimur æuo
Quodq; ruunt vrbes, labuntur Regna vicissim
Alta Dei mens est; nec tu sinè numine certo
Obsidione premis Solymam, Deus author, & ipse
Te mouet interior, viresq; animosq; ministrat
Posthabita Solyma. tantæ illi martia curæ
Roma, cui veros iam pridem signat honores.
Dixerat hæc Symeō. Læto & Rex pectore fatur
Magna equidē memoras hospes. Dij vota secūdēt
Et Solymis videat reducem me Roma subactis.
Tu verò & socij immunes quo vultis abite,
Vultis & his vnà mecum cōsistere castris?
Largiar arma, & opes, nullo & discrimine habebo
Vos & Romanos. dixit, cui talia contrà

Orsa

Orsa refert Symeon. factis tibi digna rependat
Altitonans, quoniam meritas persoluere grates
Non opis est nostræ, Martisq; horrentia tela
Tractare haud iussit Dominus bipatentis olympi
Ibimus ad montes, & per deserta locorum.
Attenti precibus semper, sacrisq; gerendis,
Contingetq; iterum fortasse reuisere Castra
Donec erit bellum. factoq; hic fine recessit
Cum socijs, alacres cuncti montana petebant.

Finis Secundi Libri.





IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER TERTIVS.



NTEREA campis iussi compagibus arctis
Dum vigilant fabri celsas componere turres
Romanus Princeps pedites, equitesq; recenset
Ipse suos, gaudetq; armis, numeroq; suorum
Aurato residens solio venerabilis ore,

Quod

Quod centum gradibus suprà conscendit eburnis
Regifico splendens luxu, pedibusq; tapetas
Calcat, & intexto gemmis diademate splendet.
Sceptrum dextra tenet, maiestatemq; seuerus
Imperij, ætatisq; suæ mirantibus effert.
Hinc acies Cæsar latè prospectat, & arma,
Præteriensq; illum merito veneratur honore
Quilibet, & tela inclinat, vexillaq; flectit:
Musa Duces memora, & quibus agmina vexit ab oris
Quisq; refer, penè vt tenebris obscura virorum
Nomina præclaræ deducam lucis ad auras.
Castius antè alios ductor se monstrat in armis
Auro ipse, ac etiam Sonipes spectabilis auro,
Mille agit iste viros, bello quos misit Aquinum,
Atq; Atina potens, & qui lapidosa colebant
Arpini iuga, Volturni & quos abluit vnda.
Inde leborinis populos agitabat ab agris
Et quibus irrumpens Clarius sæpè obstat Acerris
Fluctibus Anicia generatus stirpe Camillus.
Sfortia post illos iuuenis pulcherrimus ibat
Sfortiadæ stirpis, quæ italas dominata per vrbes
Ritè fuit, decoriq; decus fuit illa latino
Temporibus cunctis. Cumarum animosa iuuentus,
E Capua pariter bis mille bastilibus illum
Experti nimiùm iuuenes ad bella sequuntur.

Tùm

Tùm leo vadit ouans, cui antiquo robore quercus
Cognomen fecit, sub quo Caieta regendos,
Oraq; quam Lyris ditat felicibus vndis
Vestinis impulsus aquis per Regna Maricæ,
Et Nola à Tyrrijs quondam possessa colonis
Mille dedere viros longa qui cupide certant.
Tùm Sarni apparent turmæ, placidosq; recessus
Poestanos quæ habitant circùm, Saturnia Iuno
Queis fauet; hìc etenim sacris altaribus olim
Illa colebatur supremo thuris honore.
Amnius his præerat domitor præclarus equorum.
Quæ dein diuersis incedunt agmina telis
Ordine tàm longo, non hæc de gente latina
Italicis vè iugis venere: sed orbe remoto
Seruitio Regis iam pridem Hispania misit,
Vt quos cunq; velit iubeat contendere in hostes.
Hæc Anatis Traianus agit propè flumina natus
Strenuus, & facie insignis, belliq; magister.
Ibat Alexander post hos ditissimus auri
Parthenopæus eques gemmis, & splendidus ostro,
Hastiferas illi Procbita dedit alta Cohortes
Atq; pares numero, ac armis, & moribus ijsdem
Inarime, longè quæ apparet in æquore nautis.
Post tantos Medix sese generosus agebat
Exardens oculis, qui accensi pectoris ignem
Iratus vultu facilè reddebat apertum,

Et quicunq; illum spectaret, noscere posset
Quas hosti strages, sit funera quanta daturus.
Saxosis iste Hyrpinis in montibus ortas
Ostentat gentes; nec non Diomedis ab vrbe
Tydidæ fert mille viros ad prælia suetos.
Nec te Thespiades, culte Oldrandine, Sorores
Estensis lauros inter, myrtosq; virentes
Otia dùm carpis, dùm mulces æthera cantu
Detinuere, feri quin Martis bella subires;
Nàm pariter tibi bella placent, & carmina Phœbi,
Edocto cytharas, experto prændere tela.
Hìc agit armatos arcu, leuibusq; sagittis
Innumeros populos, duro qui vomere terras
Vertere sunt soliti, & fruges resecare per Harpos,
Quiq; tuos coluere, vetus Luceria, fines,
Appula quiq; altæ steterant ad moenia Troiæ.
Post hos Albinum innumeri sectantur, & ipsi
Sunt qui lethiferas sedes liquere Pisauri,
Vmbria quosq; aluit, Rubicon quos spectat ab alueo
Pumiceo, nec non Picæni qui arua tenebant.
Carminibus nostris nec te PINELLE silebo
Magne ligur, qui si facie specteris aperta
Crinibus auratis Clarius Deus esse putaris;
Casside dùmq; tegis vultum Mars crederis acer.
Hunc non communi potuit retinere cubili
Infelix coniux tales dans voce querelas.

Exter-

Externas igitur patrijs pro finibus oras
Appetis? & ferrum ab ferro crudelior ipso
Non me velle potes, quæ me miseranda dicaui
Tempus in omne tibi intactum largita pudorem?
Et galeam capies? hastas & stringere mauis;
Quàm dulcem natum primo iam te ore vocantem,
Ridentemq; tibi simul oscula grata petentem?
Hìc salentinas, genus insuperabile bello,
Exhibet hastiferas inuicto robore gentes
Iapygiæ ex oris, vbi stirps Pinella perenni
Pace reget populos dominans voluentibus annis.
Indè trahit turmas vdo è Sulmone Sabellus,
Qui genus antiqua ducit de gente Sabella,
Et septingentos pelignis montibus ortos
Cursibus assuetos populos præuertere damas,
Et iaculis mactare feras, & figere ceruos.
Spicula longa manu ferrato stipite gestant,
Quorum alij hirsuta velantur pelle leonis,
Lanigeraq; alij sua corpora veste tegebant.
Quæ dein subsequitur tam multo milite turma,
Est quam fertilibus Trinacria misit ab agris
Trinaria horrendis habitata Cyclopibus olim,
Cencius his Dux est, cui fortia pectora bello,
Et phrygij exultat descendere origine Iuli,
Talis erat quondam Aeneas conspectus in Ida.
Montibus è Calabris ad bella Colunnius heros

Armatas efferet acies, equitumq; Cohortes,
Ingentemq; gerit clypeum, nimioq; nitentem
Auro, vbi squamnigeri cælatus in orbe draconis
Corpore vasto elephans proculcat tergora plantis.
Parthenopæa subit post hos gens agmine longo
Signa sequens Placidi, qui pulcbra nepotibus olim
Cæsus prò Christo Afflicti cognomina fecit.
Heù quæ damna dabit Solimæ, quæ corpora sternet,
Implebit valles, implebit sanguine colles,
Innumeraq; vias arctabit strage virorum.
Reginas paritura etiam, Regesq; potentes
Italiæ regio pulcherrima Hetruria misit
Vrbibus è cunctis lectos florentibus annis.
Hos Consaga regit genus alto à sanguine Diuum,
Vnde etiam proceres olim tua iura regentes (ronis.
Mantua diues opum, & magni domus alta Ma-
Nec tu sedisti imbellis dum tanta parantur
Bella; at misisti Ausonio sex millia Regi
Gallia bellatrix equitum, quos ducit ouantes
Henricus veterum proles fortissima Regum.
Et totidem nostris diuisa Britannia terris
Sub Duce Gildonio misit, qui prælia semper
Tractauit Martis media inter prælia natus.
Ambarum superat numerum germanica pubes,
Scaliger his præerat bellis præclarus, & alto
Nobilis eloquio, Phœbiq; acceptus alumnus.

Roma-

Romanis pariter fauere Orientis ab oris
Innumeri populi, quos Roma subegerat ante.
Quos inter Rhimedon fortes, nimiùmq; feroces
Profert assuetos hastæ tolerare laborem
Vallibus ex Hæmi, Euxiniq; è littore ponti
Gaudentes sparsos per collum ferre capillos.
Cecropijs deinde ibat eques de Regibus ortus
Graiorum quondam Regum Granaus origo
Castriotorum illustris cum sanguine mixto
Qui maris, & terræ fines peragrauerat omnes,
Et mores hominum, & cunctas cognouerat vrbes.
Fert turmam hic secum saxosi rura Corinthi,
Et quæ Parthenium celebrem, montemq; Lycæum
Quæ colit, & placidè Eurotam est mirata fluentẽ.
Tùm ferus Antiochus, quo non trucul ẽtior alter
Agmen ad arma egit, quod fertilis arua Marocci
Possidet; herculeumq; fretum propè degere gaudet,
Aspera gens bello est, odijs ciuilibus ardens.
Insignis post hos ibat Rampoldus in armis
Ingentes referens populos, ad bellaq; cogens
Ex Asia, Phrygias Segetes qui falce secabant,
Atq; suam extinsere sitim Simoentis in vndis.
Nec tantos inter flauus procedere Araspes,
Defuit Arcadia genitus de stirpe Pelasga,
Hunc armata cohors arcu, ærataq; securi
Sectatur, consueta nigro deferre veneno

Spicula

Spicula perfusa. hæc Tanaim, & mæotidas vndas
Prospicit, atq; loco nunquam remoratur eodem:
Sed mutat sedes mutantia tempora seruans.
Inde sequebantur variato veste colore
Contexta arciferi, hos foelicia prata dederunt,
Quæ septigeminus foecundat flumine Nilus,
Vndique dum crescens sitientes irrigat agros
Tempore quo optatos non mittit Iuppiter imbres,
Et Canis Icarij splendescit torridus ignis,
Nec fortunatos vndarum terminat auctus,
Libra diurna nisi nocturnis tempora adæquet.
Hos Arimon ducebat ouans, quem vana parentis
Impauidum quouis faciebant dicta periclo.
Sacrilegis hæc carminibus, magicisq; susurris
Iuuictum bello natum, telisq; putabat
Constituisse suum, & violenta morte solutum.
Hos inter venere Arabes, qui sydere fausto
Felices habitant agros, vbi copia thuris,
Nec non perpetuò varij nascuntur odores.
Hìc quod odoratum ædificat moritura sepulchrum,
Dein iterum nascens cunas habet vnica phænix,
Hìcq; immortalis moriens, nascensq; moratur.
Miles arundinibus longis se quilibet armat,
India quas profert, breuis est his ferrea cuspis.
Tot gemini populos fratres ad bella trahebant,
Malchus habet nomen maior, Lucretius alter.

Hos

Hos super accessere acies, quæ maxima Tempe
Et frondentis Athos liquere, & culmina Pindi,
Piniferumq; Ossan, Cælum & qui tangit Olympũ.
Has regit Emanuel bello maturus, & annis
Fortunatorum soboles clarissima Regum
Qui meruere Deum stella duce visere in antro
Mortali cinctum spolio, dona alta ferentes.
Hinc Romana subit triplici gens agmine demum
Diuite præfulgens habitu; nàm serica vestis
Argenti huic filis, auriq; est texta nitentis:
Borghesum pars vna Ducem sectatur in armis;
Vrsinumq; alij viridi sub flore iuuentæ,
Agmine postremo Dux est Farnesius Hæros
Altus equo, ingenti clypeo, cristaq, rubenti,
Quo vix est meliùs, belli qui nouerit artem.
Omnia Rex hilari lustrauerat agmina vultu,
Cæstio & inde iubet propriùs succedere ad vrbem,
Vt qua parte aditus vrbi tentare liceret
Nosceret. huic semper magnorum pondera rerum
Credita bellorum fuerant, & tempore pacis.
Iussa ille exequitur procerum comitate caterua,
Et Solymæ accedens circumspicit vndique muros.
Ceù leo secreta quùm norit sepe latentem
Accubuisse feram nunc hùc, nunc circuit illùc,
Ne quicquam quærens aditus perrupere syluæ,
Inde quatit terram, pedibusq; inspargit arenam,

& rabie stimulante feram rumoribus altis
Prouocat ad pugnam: interioribus illa latebris
Occulitur magnum cælans sub corde timorem;
Cæstius haud aliter, postquam stare vndique tutam,
Aspexitq; vrbem clausam, segnesq; tuetur
Esse viros intrà portas, arcesq; fouere
Increpat his dictis, vocemq; extollit in auras.
Num circumsepti aggeribus, murisq; trabetis
Vsq; moras? tantus vestris timor ossibus hæret?
Sic sic ò Solymi vestram defenditis vrbem?
Hæc virtus? hi sunt Solymorum ad bella furores?
Quid pueri facerent, aut foemina inutilis armis?
Accelerate omnes, vallatas linquite turres,
Et mecum pugnate viri, nec mille recuso
E vestris solus, veniant quot cunq; iubete
Cæstius has forti rumpebat pectore voces:
Nulla autem obsessi contrà responsa ferebant;
Quos solùm munire vrbem cura vna fatigat.
Sed tantos inter cunctis audacior vnus
Hic erat Hyrcani Oldrysius stirps clara Parentis,
Qui Furia dudum, & dictis agitatus amaris
Impatiens ira exarsit, dein talia fatur,
Consilio in medio quùm concio cuncta sileret.
Vsq; igitur patimur murorum carcere clausos
Spectari Solymos hostem insultare videntes?
Audet & ò mirùm, obsessis accedere portis;

Atq;

Atq; minis nos infestat, damnatq; morantes.
Ecquid stamus adhuc? cur tanto oppressa timore,
Pectora vestra iacent, hostiq; audacia crescit?
Scimus, & a nostris superatas vidimus armis
Interdum Aeneadum turmas, nunc viribus ijsdem
Pugnandum est contrà, nobis sunt arma, manusq;
Hostibus arma, manusq; simul, victoria nostra est,
Nec magnum trepidate viri numerumq; potentem,
Non minor est nostræ virtus, & copia genti.
Ergo occurramus, fortesq; ruamus in hostes,
Militibus nocuere metus; Audacia numquam;
Quod si fortè mori medijs contingat in armis,
Gloria maior erit; quàm vilem ducere vitam
Et muro septos hostis conuitia ferre.
Heù oculis crimen tantum spectare potestis?
Et si tantus amor vrbis vos detinet huius,
Has exire fores, patriosq; relinquere muros
Vt non possitis, me me dimittite in arma,
Solus in arma ruam. veniam concede roganti
Dux venerande, mihi quemuis ex hostibus vnum
Compellare virum, & stricto me inferre duello.
Dixerat hìc ferrum deposcere mille videres,
Et pugnam exoptare omnes, inimicaq; castra,
Ioannes tunc affari Dux incipit ore.
In bello, ò socij, cunctos audacia iuuit
Quùm modus in rebus, laudatus & adfuit ordo:

H At

At contrà nocuit semper. Satis esse putatis
Innumeros populos, & castra horrentia contrà
Assiduo lassos bello nos currere? paulùm
Cædite, & hos animos bello seruate secundo;
Fortia donec enim nos vrbis moenia cingunt
Vndique perstricta aggeribus, contemnere tela
Hostisq; incursus dabitur, numerosaq; castra;
Si nos ergò licet tutò defendere, & vrbem
Nostrorum sinè cæde virum, sinè sanguine nostro,
Fortunam tentare malum est, casusq; subire
Mille pericla feri, & nos certæ opponere morti.
Tu quoque, quem tanta exagitat noua gloria belli
Oldrysi armipotens, iuuenis fortissime nostrum,
Nè tantum confide, animi & compesce calorem,
Communem nec preterea exhortabere pugnam:
Sed si fortè audes, tam magna incendia seruas
Pectoribus defixa tuis, procedere solus
Ad pugnam, & cuiuis hosti te opponere quæris
Id tibi concedo: quanquam te sistere mallem,
Votaq; pugnandi, & magnum differre vigorem,
Vt matura dies properet. Sedauerat omnes:
Oldrysio at cæptos animos sic orsus adauxit.
Vtq; canis leporem, qui tuta per otia vidit
Prata pererrare, & teneros decerpere flores,
Si irruere haud possit ferri prohibente cathena
Tristatur latrans, & ferrum mandit apertis

Fau-

Faucibus; at ruptis stimulis mox temperat iras,
Et gaudet, se seq; parat perrumpere in illum;
Oldrysius sic tristis erat dum tela vetabat
Dux exerceri, concessa licentia tandem
Vt fuit, exultat, totasq; aduertit in hostem
Iras, arma petit, studioq; exardet eundi.
Nec mora longa fuit, castris mandata propinquis,
Regiq; Aeneadum instructus deferre iubetur
Archetius, qui vota Ducis, mentemq; sequentum
Explicet, Oldrysij referens audacia vota.
Regis iam Sedem socijs comitatus adiuit
Cæstius excelsam rediens ex vrbe propinqua,
Vndique & heroum magna cingente corona
Talia dicta illi subtristi voce ferebat.
Optime Rex Regum velox tua iussa peregi,
Armaq; non dubitans hostis, lethiq; periclum
Ingressus vrbis quæsiui moenia circum
Militibus qua parte tuis tentare liceret:
Expugnare tamen muros, ruere vndique turres
Heù quàm difficile est, vix tota hæc agmina prosũt;
Montibus imparibus sedenim sedet alta duobus
Vrbs Solymæ longo penitus circundata tractu,
Et triplici fortis muro, fossisq; profundis,
Aggeribusq; suis, bis centum & turribus altis.
Arces quid memorem, ac æquata palatia cælo?
Haud equidem vinci poterit sinè sanguine multo

Si vinci poterit, veneranda ego numina testor
Si modò vera loquor. dixit, magnumq; dolorem
Imbibit Augustus: simulans tamen omnia fatur.
Nō si centū vrbes, aut maxima Regna repugnēt
Sufficerent, si vos animus iam forsitan idem,
Et vos præteritæ firmant ad prælia vires:
Sed cur non firment? ingentia pectora cerno,
Robora vestra simul veris mihi cognita signis.
Plura dabat, quùm se in medium tutissimus infert
Arcbetius iuuenum turma perductus ad ora
Regis, tunc illum merito veneratus bonore,
Tradita quùm primùm venienti est copia fandi
Est inter Solymos iuuenis, Rex maxime, dixit,
Oldrysius, qui se murorum haud posse fatetur
Vincla pati; se se campo namq; optat aperto,
Qui castra, & muros latè intercluditur vrbis
Vestrorum cuiuis hodiè conferre duello,
Qui primum post certamen, quoque velle secūdum
Promittit, quartumq; audet, sextoq; paratur
Nobilis, aut de plebe foret, sat nobilis ipse est,
Libera si pugnæ permittitur vlla potestas
Per te, Rex Italum, & mallet certamine primo
Noscere quæ uires essent, quæ robora in armis
Illius, qui iam dudum successit ad urbem,
Tentauitq; aditus iuuenum stipante caterua,
Hoc Solymi uoluere omnes, Dux expetit istud.

Dixerat Archetius, breuiter cui talia Cæsar
Respondet. duram penitus desiderat hostis
Oldrysius pugnam, retinetq; ferocia uota,
Quorum non longo post tempore quippè pigebit,
Et nec opus fuerit duplici certamine; uictum
Se primo noscet. per me sit tuta facultas
Pugnandi qualem poscit, qualemq; uidebo
Per uos seruari nostris. tum lumina uertit
Ad procerem dicens, ad te hæc certamina spectant,
Vade, uide, & uince, ò Cæsti, fortissime; nàm te
Præmia magna manent. lætum se protinus offert
Cæstius, atq; hosti subitò hæc mandata referri
Indicat. ad pugnam ueniam, dic arma prebēdat
Oldrysius quæcunq; uolet, dic eligat ipse
Quem uult cunq; locum, sum demonstrare paratus
Quæ mihi uis animi, quæq; essent robora in armis.
Dixit, & extemplò Archetius remeauit ad urbē
Oldrysio, & Solimis certo cuncta ordine pandens.
Continnò sese ille armis ingentibus armat,
Resplendetq; caput galea, cristaq; coruscat,
Ense latus cingit, ferratæ cuspidis hastam
Fert manibus, super astat equo, portasq; reliquit,
Egrediturq; celer, multi post terga sequuntur,
Immeritum neù quid iuuenis patiatur ab hoste.
Hos inter facie insignis Pænæa secuta est,
Quæ muliebre decus, muliebres respuit artes,

San-

Sanguineosq; enses semper tractauit & arma;
Aut quando tempus pateretur contudit apros,
Et spumantis equi velox seù Lora fatigans,
Seù pedes audebat celeres præuertere damas.
Cætera stans muro pubes miratur euntes
Euentum cupidè expectans certaminis huius:
Conuertens autem supremo lumina olympo
Voce ter auxilium supplex cæleste precatur
Cæstius, atq; viæ subitò se accingit ouantem.
Ad pugnæ venere locum, qui passibus æquis
Ex vrbe, & castris distat, pariterq; videndum
Se castris, vrbiq; refert in valle propinqua.
Maximus extemplò coràm ceù maxima turris
Astitit Oldrysius. telis præcinctus ijsdem
Spumantem compellit equum, flammasq; vomentē
Cæstius. vt ventum est paulò cessere; sed inde
Non adeò, vt nequeat spectare ex ordine cunctos
Cæstius, & nudam facie cum crine soluto
Te Pænæa videt, & cur non ille videret
Si qualis Titan quùm surgit manè niuosis
Montibus eois radiorum lumine clarus,
Talis eras nitido vultu spectanda, comisq;
Ex niueis armis, quæ cætera membra tegebant?
Et te prospiciens cur non exardeat igni?
Si facie, ac oculis si emittis crinibus ignem?
Aestuat infelix, nutritq; in pectore flammas,

Teq;

Teq; amat; atq; optat, solùm te respicit vnam
Ore tuo pendet, flexo tibi lumine inhæret,
Nec pugnam curat victus certamine nullo:
Inuictus sed vicit Amor, cui nemo resistit,
Ius habet ille mari, & terris, & in æthere regnat,
Pectora dura domat, verecundaq; vota repellit
Virgineosq; animos mutat, mentesq; pudicas,
Rura colit quùm vult, vrbes, atq; atria Regum,
Castra habitat gladios inter, cædesq; cruentas,
Et quos non potuit tempus: nec vincere ferrum,
Ille vltrò, ò mirum, sinè vi, sinè vulnere vincit.
Aspicit Oldrysius, pugnæ nec signa videbat,
Nec bellum qui inferre velit, tunc voce superba
Clamat, & heus inquit, quis mecum prælia inibit?
Incutit annè metum facies mea visa repente?
Fortis vbi Romanus adest? se exterritus abdit?
Vocibus his motus veluti si membra quiete
Abstulerit longa, somnum penitusq; fugarit
Cæstius en me sæue vides, nec territus absum
Incipit, & quantum possit mea dextera nosce
Audax Oldrysi. Dixit Romanus, & hasta
Extemplò Oldrisium contrà se traxit, & illi
Pectora percussit grauiter, tremit hostis ab ictu,
Et nisi præualida Thorax persisteret arte
Tunc animam functus vita misisset ad Orcum.
Vt pedibus compressa ferox se exasperat æstu

Vi

Vipera letbiferum fundens ex ore venenum
Autoremq; nigro molitur tangere morsu;
Sic dolet Oldrysius cunctas & suscitat iras,
Romanumq; petens onerosa cuspide, vultus
Percutere aptatur: sed longè auertitur inde
Cuspide ab hostili cuspis proiecta per auras.
Oldrysius geminat vires furiatus, & inquit,
Ast non hunc ictum fas est euadere, Cæsti,
Mucronemq; celer contrà direxit, at ille
Non minus aduertit ferrum, sic tempore in vno
Vtraq; sanguinem cuspis fert vulnus vtriq;
Ast vtrumq; leue est, feriuntur & ilia vtriq;
Contrà iterum torquent hastas, iterumq; retorquẽt,
Icta sonant arma, & summum ferit aera rumor
Vtq; calent ipsi, sic ira ignescere mota
Adspectantur equi, & furias agitare videntur.
Hastæ sed demum tot crebris ictibus ambæ
Franguntur, fractusq; petit vaga sydera Cæli
Innumerus stipes, scissum volat æthere ferrum;
Vndiq; telorum exiguæ stant puluere mixtæ
Partes, cumq; armis sanguis, cum sanguine sudor,
Per vallum ambobus manant è corpore toto
Sanguineæ guttæ magnis velut imbribus ortis:
Ast Solymus plures magno ceù flumine versat:
Nam geminum offenso vulnus sub pectore habebat.
Cernit id infelix, alto & suspiria corde

Diffun-

Diffundit taurus veluti mactandus ad aras,
Extremasq; gerens vires dùm robora desunt
Vulneribus, veluti quùm lumine flamma refulget
Extremo, si quo viguit caret illa liquore,
Ensem perstringit, galeam & conamine magno
Ense ferit, galeamq; scidit sed vulnere paruo,
Fronteq; percussus longè maiora tetendit
Vulnera Romanus, ferrumq; in gutture condit.
Oldrysius terra præceps prosternitur ima
Ingens telluris spatium sub corpore stringens,
Purpureamq; animam multo cum sanguine fudit.
Terribilis postquam duro certamine victus
Effudit vitam Oldrysius, victorq; remansit
Cæstius, è castris læti pæana canentes
Romulidæ tollunt vocem, namq; omnia spectant.
Parte alia Hæbrei moerent de moenibus vrbis,
Armaq; defuncti, gemmis onerataq; miris
Ampla capit spolia, & supremo victor honore
Lentos præ socijs gressus ad castra ferebat
Cæstius aduersis conuertens lumina muris,
Ad quos iam virgo tristis Pænæa redibat.
Tùm magno loquitur Pænææ victus amore.
Hei mihi quid misero præsens victoria prodest?
Partaq; quid prosunt spolia, atq; insignia tela?
Si cor amisi, si me mihi pulchra virago
Eripuit, vicitq; simul, victumq; ligauit

Perpetuis vinclis, nullo quibus eximar æuo?
Hei mihi qualis erat facies, quis splendor in ore?
Luminibus nigris quæ sydera clara micabant?
Quale comis rutilum flauis resplenduit aurum?
Quis manabat odor pulchro de corpore passim?
Vix fortunatis talem Panchaia syluis,
Aut nigri seruant Arabes felicibus aruis,
Quas vè mihi, dùm bella gero satis aspera, vires
Addidit æthereis facies dignissima diuis?
Non mea non, sua sit præsentis gloria pugnæ,
Me miserum non te coram mihi fixa dolebam
Verbera, nec quidquam nocuit, nec vulnera sensi:
Omnia nunc equidem doleo, nunc omnia lædunt
Quodcunq; aspicio tædet, terra, æquor, & aer
Quo viuo male sanus obest. Sol nigra videtur
Lumina habere mihi, obscura caligine nubes
Aspicio condi, æternisq; errare latebris;
Castraq; dum repeto, & socios, & amica reuiso
Agmina, ad hostiles videor properare cateruas;
Castra inimica placent, mea vita moratur in illis,
Inde mihi placidè spirat iucundior aura,
Quæ lapsam refouet mentem, trafictaq; membra.
Talia dùm memorat varios è corpore riuos
Versat, dant lacbrymas oculi, dat plaga cruorem.
Iàm castra aduenit, posito hic discumbit in ostro
Hostili ferro, telisq; Cupidinis æger.

Vndique

Vndique concurrunt Itali, Rex ipse verendus
Venit, verbisq; ægrotum solatur amicis.
Cæstio, & auratam pateram pro munere donat
Romulidum Rex, hìc medio cælatus in auro
Stat leo non solito turbatus corda timore
Ceruice erecta, & pedibus, despecta iubarum
Gloria, sanguineiq; oculi. tùm flamma coruscans
Lumine stat triplici iuxtà, credasq; fauillas
fundere, & ardorem, credasq; pauere leonem,
Materiam superabat opus, mirabile donum.
Adsuit & salubres herbas, artemq; medendi
Qui norat Phœbi sat longo expertus ab vsu
Artemon, qui mille animas è faucibus Orci
Traxerat, atq; ægris vires, donarat, & annos.
Vulnera dyctamo, & panace hic curabat odora,
Atq; salutiferis succis: sed vulnera Amoris
Restabant intacta magis, miserumq; premebant.
Illius auratas tentoria celsa figuras
Ostentant, quas insignis manus arte magistra
Fecerat, & mirè fuluo cælauerat auro.
Hìc venus Anchisen Phrygij Simoëtis ad vndas
Complexa apparet, Veneri grata oscula figit
Ille, Cypris pariter lasciua huic oscula libat.
Lunaq; conspicitur Cæli dilapsa per oras
Endymiona suum sub lathmia stringere saxa.
Hìc quoq; spectatur falsa sub imagine tauri

 Iuppi-

Iuppiter Europam externas vexisse per vndas.
Nec minus vt Danes pretiosus venerit imber
In gremium, & turri inclusam violarit abena,
Nec non vt canis Ledam deluserit alis
Fictus olor, post vndè duplex enascitur ouum.
Pinxerat Æneam pariter decliue sub antrum
Imbribus exortis Didus temerare pudorem.
Hospitiumq; Helenes, Paridisq; notauit amores,
Quantaq; desertis ponto sensere Mycenis
Gaudia, dùm xantum poscunt, & pergama Troiæ.
Hìc quoque Abydenus posita per littora veste
Immemor vndarum, ac hyemis Leander inhæret
Complectens sextæ nitidissima colla puellæ.
Quiq; tot vndauit teucrorum sanguine campos
Iliacos, Priami dùm maxima Regna manebant,
Æcidem, placitamq; illi Briseida iunctam
Clara tabella refert, & te pulcherrima Phylli,
Exceptumq; tibi domita quùm venit ab Ida
Demophoonta tuo nectentem brachia collo.
Nec desunt ætate pares, & pulcher vterq;
Pyramus, & Thisbe, votis quos iunxit ijsdem
Verus amor, dùm vita fuit, nec morte diremit.
Hìc spectandus erat pariter meliore metallo
Orpheus, auratam Cytharam qui pectine pulsat
Saxa, ferasq; trahens, syluasq; animosq; volucrum,
Euridicesq; sono iuxta oblectata canoro

Threicio

Threicio applaudit vati, psallitq; rosisq;
Purpureis rubicunda magis dat labra labellis.
Singula collustrans infirmo pectore vultus
Figit imaginibus fletu velut imbre madentes
Cæstius, atq; magis malesanus in igne calescit,
Tunc ait, ò fortunati Diuiq; Deæq;
Et vos, mortales, tantum queis Cypria fauit
Posse frui votis, mentemq; explere furentem,
Solus ego infelix; miserum me perdidit vnum
Sæuus Amor, cogitq; mori. Lætentur amantes,
Ipse queror solus, nostris nec certa querelis
Finis adest, sic est longè quam diua medullis
Infixit Cytherea meis, nec me audit amantem,
Nec nouit nostros, aut forsan ridet amores.
Tantis continuò lamentis ille gemebat
Seù Titan oriens, medio seù clarus olympo,
Siuè cadens sit ad hesperium mare, nocteq; Cælum
Innumeris se se fulgentibus offerat Astris.
Parte alia Oldrysij ad Solymam duxere cadauer
Moerentes socij, subitisq; doloribus actus
Hyrcanus geminis percussit pectora palmis,
Et moestos nigro foedauit puluere vultus.
Tùm nati spectans pallentia membra iacentis
Hunc super incubuit, lacbrymis & vulnera lauit,
Quas oculis veluti fundit rorantibus imbrem,
Et vocem tenuere diù sub pectore clausam

Singultus

Singultus, lacbrymæ, accensi suspiria cordis,
Dein primùm fari vt potuit sic ora resoluit.
Nate meæ vires quondã, & mea magna potestas,
Nunc dolor æternus patri, causa alta malorum,
Nate meus sanguis, vita mihi carior ipsa
Tunè es, qui nostros placida sub imagine vultus
Edebas? totiès tu solabare iacentem
Me miserum, atq; meo pellebas corde dolores?
Cur tua vis cessit? cur fortia robora linquis?
Nate hic altus honos? magnorum hæc meta laborũ?
Hæc à te nostræ totiès promissa senectæ
Expectata quies? ægro hæc solatia patri?
Sic repetis patriam victor, talesq; triumphos,
Præmiaq; ista refers? tantos acquiris honores?
His palmis decoratus ades, viridiq; corona?
Hoc de te nomen speraui, hæc gaudia demens?
Hos à te seros video, optatosq; nepotes?
O fortuna virum semper contraria votis.
I pete diuitias, pete Regna, superbaq; Castra
Vt famam quæras, animis tamen exitus obstat
Sæpiùs aduersus, qui spem deludit inanem.
Quid te, nate, iuuat præcepta horrentia Martis,
Et bellum voluisse sequi iuuenilibus annis
Si cadis ante diem multùm deflebile funus?
Tantos ille suo questus dùm pectore rumpit
Confuso hùc omnis conuenerat ordine miles.

Quùm

Quum Dux Ioannes sortem miseratus acerbam
Et miseri patris luctus hæc dicta ferebat.
Offitio siquidem ut decuit sat functe paterno
Comprime iam luctus, tristes depone querelas,
Communemq; uiris dominam, lateq; potentem
Mortem, Hyrcane, puta, iuuenes ferit illa senesq;
Quam contrà non arma ualent, uis nulla resistit.
Dixit, & inferias solui de more iubebat
Manibus extincti, fiunt pia iussa uicissim
Ordinibus longis, extremaq; funera dantur
Et fatalis honor iuueni, nigroq; sepulchro
Conditur exanimum Oldrysij sub marmore corpus.


Finis Tertij Libri.





IO. PETRI DE ALEXANDRO

IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER QVARTVS.



AM q; suos currus mersit Sol pronus Iberis,
Atraq; nox lucem tenebris tulit undiq; septis,
Cuncta silent, alto cuncti dant lumina somno.
Somnia tunc Regi Aeneadum miranda uidentur.
Finibus eois propè regia limina Solis

Chri-

Christalli stat porta nitens, quæ more vetusto
Panditur antè suos oriens quàm pulcher Apollo
Sollicitarit equos iuga lucida ferre per orbem,
Vnde solent uera esse viris oracula Diuum.
Hinc ad Romulidũ mulcentem membra sopore
Venerunt Regem pennis fulgentibus auro
Somnia, queis visum est nũquam mortalibus vllum
Pulchrius; arcana his cæli manifesta fuerunt.
Tùm Titus excelsos, atq; omni parte serenos
Conscendisse locos illustribus vndiq; flammis
Eccè videbatur, dùmq; hìc miratur ouanti
Pectore tot motus agiles, tot lumina, & orbes,
Harmoniamq; sonosq; graues, cantusq; supernos
Præcinctum radijs, & multo lumine vidit
Ad se se properare virum, qui talia fatur
Sermone altiloquo. generis noua gloria nostri
Dux Italum heù vigilia, atq; animo mea concipe dicta,
Ipse tuus patruus, rerum cui cura tuarum est.
Hic autem ò vita siquidem mihi carior ipsa
Optime cunctorum, & decus immortale tuorum
O quantum exoptatus ades, quam pectore læto
Te accipio, hæc fatus ter cingere brachia collo
Nititur: at totidem retrò fugit vmbra Sabini
Par volucri somno, par & fugientibus auris.
Subridens tamen ille has fundit ab ore loquelas,

Non vt, rere, meos mortalis contegit artus
Vestis: at humano iampridem exutus amictu
Hic ego cælestis sum spiritus incola sedis,
Ex quò Romæ obij Capitolia celsa tuendo
Germani imperio, dùm multa Vitellius audet
Crimina crudelis romana per oppida regnans.
Templa Dei sunt hæc, habitantq; beata Tonantis
Agmina lectorum procerum, quos inter habebis
Ipse locum, & fælix æterno hic tempore viues;
Non etenim fera sæuit hyems, non feruidus æstus,
Tempora perpetui sunt hic placidissima Veris;
Non tempestates, venti non prælia miscent;
Sed Zephyri hic tantùm spirat felicior aura;
Non vesana fames, auri nec auara cupido:
At cunctis hic plena bonis se copia fundit;
Non odium, non ira nocens, non bella, metusq;
Exulat omne malum, luctus, morbiq; luesq;
Lætitiæq; vigent, risus, & vita perennis.
Hic amor æternus, pax hic æterna, quiesq;:
Cui Titus armipotēs, quid terris immoror inquit
Si me tanta manent Cælestis commoda vitæ?
Tunc alter, non iste tui stat terminus æui,
Multa ferenda priùs, multo vastanda labore
Mœnia sunt Solymæ, hinc latias remeabis ad oras
Victor, vbi Imperium, quo non præstantius vllum
Aeneadum excipies toto plaudente Senatu

Funera

Funera post patris, tùm quùm firmaueris orbem
Vndique terrarum, spolium mortale relinques
Et Cælum ascendes, & Dijs misceberis ipsis
Heroes inter claro tibi sanguine iunctos.
Vt penitus maiore tamen succensus amore
Cælestes animo sedes feruentior optes,
Et terrena parum cures, hùc lumina verte,
Aspice lucentesq; domos, radiosq; nitentes,
Viuaces flammas, quas mens æterna gubernat,
Etherios audi cantus, Cytharasq; canoras,
Syrenesq; sacras Cælestia plectra mouentes.
Nunc terram deflecte oculos spectator ad imam,
O quàm parua situ, Oceanus quàm flexibus illam
Circuit angustis, & uastum dicitis illic,
Nil tamen ille tenet tàm magno nomine dignum.
Scis etiam, quod non terras habitare per omnes
Permissum est cunctis; prohibentur frigore summo
Has homines colere, atq; illas arcentur ab æstu.
Sunt loca multa feris tantùm domus aspera syluis,
Multa quoque & saxis, & mõtibus inuia magnis.
Ille locus, nam cuncta vides, vberrimus auro
A vestris longè terris disiunctus, & extrà
Oceani fines, extrà faucesq; fretumq;
Herculeum, *vestro numquam fuit agnitus orbi:*
Ast olim audaci prouectus naue Columbus
Deteget, ò quas diuitias, quæ munera quondam

Docte lygur pandes, quæ Regna potentibus addes
Regibus Austriacis, (aderunt hæc nomina Regũ,)
Queis genus à magni ducetur origine Iuli
Cæsaris, & terris adeò mortalia inhærent
Pectora? quid fama volucri, quid nomine gaudent
Imperium dùm vile petunt, tantoq; labore
Impendunt operam, vt terrestria Regna pararent?
Ignaræ mentes hominum, & stellantia claustra,
Et vix suspiciunt radiantis lumina Phœbi.
Dùmq; licet mundi partes circumspice cunctas,
Quanta æquata solo sunt oppida, quanta iacere
Regna vides? nã Regna ruunt, labuntur & vrbes.
Hæc patruus. Titus inde refert, quia carcere cæco
Corporis, & non dum terris discedere ab imis
Concedit Superum Rector, mihi fare precanti
Errores inter mundi quæ semita fallax
Est minus, & quæ me poterit via sistere tutum?
Alter ait, sequere, & retrò vestigia numquam
Distrahe, callis inter veri clementia monstrat
Iam pridem tibi care nepos, numquã arma repone
Prò patria, atq; tuis, & pro tutamine pacis,
Vix hominum magis acceptum viget æthere munus.
Aude aliquid semper magnum pelle otia longè,
Numquam se cælo virtus pigra extulit alto.
Aspice quo solio assideat gaudente corona
Cælicolum, & quali exultet decoratus honore

Iulius

Iulius à magno demissum nomen Iulo,
Qui rutilans cingit sacros diademate crines
Non auro, aut gemmis claro: at fulgentibus Astris.
Vtq; alios sileam, quos hæc tenet aula beatos;
Nam tenet innumeros, qui defensare parati
Vsq; fuere armis patriam, dùm vita manebat,
Te geminos nouisse viros decet, Africa nomen
Queis dedit æternùm Aeneadis infesta tirannis.
Agminis in medio hæroum Dux optimus ille est
Maior; statq; alter iuxtà. Titus inde profatur.
O si scire licet, si fas prædicere quidquam
Austriaci generis, tantis quod laudibus effers
Venturumq; refers à magno Cæsare nobis
Quàm cuperem. Tunc alter ait, si nomina Regum
Enumerare tibi, ac illustria dicere, facta
Iam vellem, non vna dies satis esset, & annus;
Nàm veluti in terris semper noua germina profert
Arbor culta hortis, domini pretiosa voluptas,
Austriaca haud aliter referet stirps tempore in omni
Inuictos Reges cælestis honoris amicos:
Sed licèt innumeros taceam, quos omne per æuum
Semideos dabit ista domus terrestribus oris,
CAROLVS insignis bello memorabitur, Orbis
Totius Imperium latè hic reget, agmina Thracum
Vincet, & infernos implebit Thracibus amnes,
Romulidis infesta viris erit Africa testis,
Sanguine

Sanguine quæ hostili surgentia flumina cernet,
Atq; Hariadenum spectabit moesta tirannum
Antè triumphales captiuum pergere currus
Inuicti Caroli. Regio validissima testis
Pannoniæ, quot multa Arabum dira agmina sternet.
Extremos olim penitus stupefactus ad Indos
Amissos lugens socios Solymanus abibit,
Semper & horrescet Caroli victricia tela.
Non iterum audebunt latios inuadere fines,
Atq; infestare Italiam velut antè solebant
Sæpiùs expulsi, & supremo Marte subacti
Infidi Thraces. tunc respirare potestas
Italiæ dabitur, lætosq; attollere vultus.
Tùnc simul exurget Caroli haud incerta Philippus
Progenies, alto famam qui æquabit olympo.
Quo Thraces odio sectabitur iste? quot illis
Damna dabit? reprimet vires, maioraq; numquã
Regna sinet Thracum fieri, se opponet, & armis
Aeternùm certo cohiberi limite coget.
Pontificisq; olim non aspernatus honorem,
Hortatusq; sacros armabit milite multo
Mille rates, ratibusq; Ducem volet ille præesse
Germanum, quo non armis præclarior alter.
Hìc fidens animi, & factis animosus auitis
Ingentes Arabum audebit subuertere classes.

Aequore

Aequore in immenso fluctus cum sanguine mixtos
Neptunus voluet, tot millia multa virorum
Procumbent ferro. stupefactaq; fortibus ausis
Signabit Natura locum, montemq; perennem
Progignet, quem Trax ponto prospectet ab alto
Illachrymans, tristiq; trahens suspiria corde.
Nec minus intereà prognatus sanguine eodem
Romani Dux Imperij terraq; mariq;
Continuò feret in Thraces fera bella Rodulphus,
Vnica cura illi vires, & perdere nomen
Hostile, & Sanctos Orienti indicere ritus.
Sanguinis ô quantum fundetur; ab omnibus oris
Concurret miles sub tanto principe lætus
Arma exercere, haud dubio discrimine Martis.
Nũc vltrà mihi, care nepos, sacra numina Cæli
Esse vetant, longumq; moras producere tecum.
Præterijsse tamẽ mira virtute PHILIPPVM
Insignem haud patiar, qui nomine tertius isto
Dicetur, totoq; sacris fulgebit in orbe
Moribus, vt nitido splendescit in æthere Phœbus.
Plurima Regna æuo viridi, multosq; regendos
Suscipiet Populos, Arabum & defendet ab armis,
Pacis amator erit, pacis seruabit ad vsum
Arma, lacessitus quæ vt durum affligeret hostem
Victrici capiet dextra. nec plura Sabinus
Commemorans, tenues velox remeauit in auras,

Per-

Permansitq; nepos stupefactus imagine rerum,
Quas patruus prædixit, ouanti & pectore versat.
Vt verò properasse diem, Solisq; per orbem
Effulgere videt radios, sacra numina adorat,
Cælitibusq; humilis solitum persoluit honorem.
Ad se se vocat inde Duces: venere vocati,
Et Ducibus coram Solio sic inquit ab alto
Sceptra tenens, Regis Dux omnis pendet ab ore.
Tempus adest pugnæ tandem; quia plurima surgit
Destructura urbem Solimam solidissima belli
Machina, Romani proceres, se præparet omnis
Prendere tela manu, famamq; extendere factis.
Et subitò ut se se tulerit lux crastina mundo;
Castra paremus, & aggrediamur in urbe morantes,
Perq; diem uires epulis, noctemq, per istam
Quilibet instauret membra alto opressa sopore.
Hæc vbi dicta dedit, Regis præcepta supremi
Approbat antè omnes Farnesius ore sonoro,
Consilijs, armisq; potens, belliq; magister
His aderat Placidus dictis animosus, & acer
Seù pacem, seù bella gerat præclarus, & inquit,
En sequimur tua iussa citi, paremus ouantes
Quisq; tibi, cognosco animos, atq; ora notaui
Cunctorum, iàm mille modis iussa arma sequētum,
Dixit, & expressis patuerunt martia signis
Appetere arma omnes, vario cunctiq; fremebant
Mur-

Murmure contra hostes, rabieq; mouentur iniqua.
Sic quùm præcepit primùm Neptunus in alto
Hinc atq; hinc tempestates insurgere sæuas
Vndiuagam medio mersuras æquore classem,
Paulatim ex imo incipiunt fremere vndiq; fluctus
Rumores dein horrisonos, & damna daturi.
Quæ cunq; hic aderant concessa licentia tandem
Vt fuit excedunt turmæ, dein æthere aperto
Per loca mille dapes statuunt, & dona Lyæi
Percipiunt, donec vino saturata quiescant
Corpora per terras, & mens oblita laborum.
Intereà armato compleuerat vndique muros
Milite Ioannes disponens ordine miro.
Parte ex occidua Solymæ stant moenibus altis
Ventosam arciferi, qui deseruere Damascum,
Olim primus homo vitalem vbi venit in auram.
Et qui è littoribus Gazæ venere, Sabesq;
Quosq; Emaus, Lydæq; simul, quos miserat Hippo.
Anthedon, Sigorisq;, Selisq; & parua Raphæa.
Atq; Acbaron, Nepseq;, & Bethle mirata verè
Virginis intactæ partus, Sobolemq; Tonantis. (dos
Hìc etiam apparent Saroes, Melodæq; coloni,
Et qui Carmelum, Senumq; Remetiaq; arua,
Quiq; colunt Reboten, & quos misere Robææ.
Hisq; Megassarus Dux est, qui fugit Idume
Edomita, & Solymam tutus portarat in vrbem

Secum diuitias, argenti pondera & auri,
Ioanni antè alios erat hic acceptus, & vnus
Par illi insidijs, par astu, & crimine in omni,
Contemptorq; virum, & legum, mortisq; Deũq;
Vrbis parte alia, quam Sol prospectat ab indis
Exoriens, vigilant turmæ felicis Abillæ,
Immanesq; viri Tarelæ, Samaresq; Recesq;
Et gentes Amosa, Masphaq; Selaq; profectæ.
Pectore sunt etiam hic forti, quibus arduus Hemon
Est domus, atq; Sylus, duplici quoq; nomine Luza,
Atq; vnà has iuxtà assistit lætissima pubes,
Quæ Phasgæ excelsi, atq; Hermi properauit ab oris,
Gens assueta sacri Iordanis ludere in vndis.
Nec minùs hic contrà Aeneadas sociantur in armis
Qui celsam Nasona tenent, nitidumq; Aserota,
Nephtalis atq; vrbem, magnasq; Berothidos arces,
Tot geminis Ducibus populorum millia parent,
Alter habet nomen Dorchas, habet alter Amanus,
Hic geticis atauis, graijs tamen ille superbit
Sunt feritate pares, vitijsq; instructus vterq;.
Parte Austri sũt quinque Duces genitore creati
Lampridio, quos dura pater nutriuit ad arma
Artemq; edocuit, sæuiq; præceptaq; Martis,
Aldemius, Cares, Albertus, Alexis, & Hector
Hos Zabulones ponti gens accola in armis
Sectantur, quosq; Ama dedit, quos Aziba misit.

Nec

Nec minus his parent quos Nepheca protulit, & quos
Auis, Balmeq; & saxis penè inuia Arimne.
Et qui liquerunt Sebamam, veteremq; Sebastem,
Bassais atq; arces, nec non Batbaltidos oras,
Quosq; rigat celsis refluens de montibus Arnos.
Sunt etiam hic Doræ ciues, populiq; Ieblæ,
Argobiæ quiq; arua serunt, Canæq; stupentis
Olim mutatas in vina rubescere lymphas,
Sensena quæq; tuos habitant vberrima fines
Huic sese iungunt comites, Affræq; Cohortes.
Ter tres ductores retinet pars vltima muri
Fulgentes auro latè, cristisq; superbis,
Hi sunt Meriones, Glarus, Ropertus, & Ammon,
Eurydamas, Thamyris, ac insigni nomine clarus
Hasbites, & cui vasti sunt membra gigantis
Autumedon, & qui thalamos violare nouercæ
Ausus erat, patremq; ferus mactare Serenus,
Criminibus sed pro tantis dabis improbe poenas,
Atq; inhumata feræ, & volucres tua viscera pascent,
Agmina lectorum sunt his subiecta virorum
Vrbe ab Adulæa, Asanesq; biuerticis arce,
Et quos Iarephile, & Tenachos, quos Asseda, I abis
Miserunt; simul & pingues Rachællidos agros,
Et saltus Galadina tuos qui vertere aratro.

Consueerant, & qui Betbole venere, Nabeq;
His etiam Betagi Ciues, Hormæq; phalanges
Adduntur comites, & Hierichuntis ab aruis,
Et Gabeone domo quæ discessere cateruæ,
Mille etiam deciès his coniunguntur in altis
Mœnibus è Solyma: ast alij stant turribus vrbis.
Bis centum turres illi, retinetq; trecentos
Quælibet armatos, parentq; in qualibet vni.
Arboribus syluæ spissis excelsa putantur
Mœnia tot pilis, totq; hastis vndique abundant,
Sic numerosa virum dixtinserat arte magistra
Per muros, turresq; altas, Solymæq; per arces
Agmina Ioannes, quem tot per tela sequuntur
Ductores, aciesq; aliæ, quot campus aristas,
Et quot habet pisces æquor, quot littora arenas.
Templum erat vrbe ingens centū sublime columnis
Conspicuum, augustum, visu mirabile, sanctum,
Quo non prisca vnquam, quo non præclarius vllum
Postera mirata est, & nec mirabitur ætas.
Hoc domino erexit Salomon bipatentis olympi,
Dauidis Salomon soboles generosa potentis.
Longinquis què sæpè hospes properabat ab oris
Visurus præstantis opus venerabile molis.
Tam magni fuerat latè custodia Templi
A Duce iam dudùm horribili commissa Simoni,
Millia cui terdena hominum parere iubentur

Sub

Sub Ducibus certis bellorum signa sequentum.
Portarum inuigilant totidem statione vicissim
Noctes, atq; dies, præsunt quibus armiger Almon,
Cui Libani ter mille errant armenta per agros;
Murranusq; ferox domitor præclarus equorum,
Et Rubene satus diuum contemptor Ephebus.
Non si mæoniæ detur facundia linguæ,
Nec si centenas voces mihi donet Apollo
Belligeras latè turmas, mirandaq; prorsus
Instrumenta vnquam possem numerare canendo;
Terribilesq; Duces, & propugnacula belli
Monte Syon collata, vrbis munimine summo.
Vt verò lux prima data est, noxq; atra recessit
Funestæ sonuere tubæ, signumq; dedere
Luctisonum belli, fremuerunt agmina passim
Bellũ, arma, & bellũ exclamant, capit arma iuuẽ-
Omnes se se armant Itali, cædesq; minantur. (tus.
Magnanimi & iussu Regis tunc Castra mouẽtur,
Incessuq; graui succedunt moenibus vrbis,
Arcibus & similes vectant ad prælia turres
Vastis contextas trabibus, gyroq; rotarum.
Vt propè deuentum est, Gonsaga innixus adaptat
Spicula curruatis neruis, & tendit in vrbem
Ingenti stridore volat leuis icta sagitta
Aera percutiens, nec figit vulnere quemquam:
Ille autem sed non frustrà iactabitur inquit,
Pro-

Proxima, & emisit, citiùs volat icta per auras.
Nec quòd Marcellum feriat sub fronte moratur,
Ast vltra dilapsa fugit rubicunda cruore.
Ille cadit moriens, & vitam, atq; arma reliquit.
Cætera continuò pubes edocta sagittas
Intorquet, telis pugnant è moenibus ijsdem
Obsessi ciues, & funda saxa retorquent.
Obscurum fecere diem, lucemq; tulerunt
Saxa tot innumeris saxis, mixtæq; sagittæ.
Parte vtraq; cadit miles: sed copia maior
Traditur ex Italis morti, vicinaq; vadunt
Ad loca murorum, & passim pugnatur in illis.
Concurrunt matres pauidæ, & sublimibus astant
Turribus, & piceos ignes, & saxa per hostes
Iactant militibus mixtæ, innuptæq; puellæ:
Ast aliæ quæ non audent comprendere tela,
Inualidiq; senes æuo sacra Templa frequenter
Talibus orantes ibant. Rex maxime Regum,
Optime Rex hominum, Diuumq; æterna potestas
Veliuoli maris, & terræ, Cæliq; repertor
Auxilium tandem miseris poscentibus esto,
Nostra sit vrbs victrix, hostes penitusq; subacti.
Parte alia obsessam defendunt fortiter vrbem
Intrepidi Ciues, animis & fortia monstrant
Corda, nec Aeneadum numero terrentur & armis.
Hasta Hastam contrà, ensem ensis confertur, &
ignis

Contrà ignem, & lapides contrà cum pondere saxa.
Fraxinea multi cæduntur cuspide; multi
Ense cadunt rutilo, innumeri facibusq; queruntur,
Saxa premunt alios, morientum mille figuræ,
Fossisq; intefectorum spectantur acerui.
Quot fractas vallo pharetras, quot spicula, & arcus
Vndique consumptos, quot tela cruenta videres,
Et fragiles galeas, disiectaq; scuta iacere
Sanguineos inter fluctus, hostesq; peremptos?
Nec retrò cædunt, quamuis tot funera dentur
Romulidum turmæ, lethiq; pericula vitant;
Sed magis, atq; magis furiato pectore pugnant,
Ductoresq; alacres bellanti præmia, si quem
Defecisse vident promittunt sumere poenas.
Ioannesq; suos Solymos hortatur, & ore
Quo posset lenire feras hæc orsa ferebat.
Nè trepidate viri, date fortia pectora bello,
Exercete omnes robur, patriæq; patrumq;
Antè oculos sit iustus amor, pietasq; fidelis
Coniugis, & vestræ, & natorum cura salutis,
Eia agite ò fidi, nostra est victoria ciues,
Cæsorum cumulos video, Aeneadasq; labantes
Et vix è nostris rapuit sors vltima paucos.
Talibus ille suos dictis animauerat omnes
Ad pugnam, nec fortè aliter sat mollia firmat
Pectora natorum audacem perrumpere turbam

Venan-

Venantum, si quando dolos, aut retia tendunt
Torua leæna acuens syluestres corde furores.
Est locus in muris Austri de parte supremus
Excelsas iuxtà turres, tibi contigit illum
Defensare, tuisq; viris fortissime Ductor
Admete, hùc se se multo cum milite duxit
Antiochus macedo, totis qui viribus instat.
Tùm leuibus scalis molitur scandere muros,
Et lapidum nimbo, iaculorum & nubibus actis
Ingenti se defendit testudine tectus.
Biscentum periere sui: ast euaserat ipse,
Excelsumq; locum muri propè venerat vnus,
Militibusq; viam fecit, frustraq; repugnat
Defensor muri, & frustrà se opponere tentat,
Vulnera multa facit certans, bauritq; cruorem
Hostilem ferro: sed dat pro vulnere vitam,
Antiochus vitam prò accepto vulnere ademit.
Ceù lupus in pleno furtim spatiatus ouili
Extinctum si conspiciat, nec obesse valentem
Custodem, solers qui sæpè obstare solebat
Irruit agnorum in turbam, & discrimine nullo
Hos fugat, hos perimit, capit hos & dente trucidat;
Sic macedo muri postquam defensor obiuit
Inuadit socios trepidantes morte recenti,
Et nulli parcens Solymorum corpora letho
Multa dabat, multis figebat vulnera tantùm.

Forte

Fortè Megassarus vidit velocior euro
Venit, vbi ille truci insultabat clade superbus,
Vociferansq; refert, cur tanta licentia demens.
Est tibi? quò violente ruis? desiste, mihiq;
Te confer, venisse statim hùc scelerate, dolebis:
Non verbis, inquit, Macedo pugnabo profusis;
Sed rebus, prò voce feret tibi lethifer ensis
Responsa, & mecum te certauisse pigebit.
Dixit, & erexit ferrum, caput ense parabat
Findere; dexterior Solymus sed robore vasto
Antiochi costas trasfixit cuspide acuta,
Et clypeo opposito minuit, furiasq, repressit
Hostilis ferri, nec vulnere læditur vllo.
Saucius Antiochus ictus iterabat inanes,
Horribiliq; Duci vulnus dùm inferre putauit
Percussit lapides disiectaq; saxa volarunt;
Concretis etenim obruitur compressa tenebris
Lumina commotis venis, titubatq; cerebro.
Non aliter quùm nigra puer velamina ludens
Nectit luminibus signatam tangere metam
Non valet, & recto terram modò stipite pulsat,
Saxa modò, & frustrà nũc hùc, iàm voluitur illùc.
Labentem vt vidit stridenti vulnere cæcum
Hostem comprendit Solymus, propellit & extrà
Moenia, tùm fatur, sic sic taciturne ferebas
Te pugnaturum? i præceps, similisq; volanti

Ima pete, & nigri Regnum Phlegetontis habeto
Decidit in fossas, saxoq; infixus acuto
Emoritur miser, & tristes volat vmbra sub vmbras.

Antiochus tùm quà murum conscenderat audax
Turri alta Aeneadæ crudelia bella gerebant,
Vrsinus, Placidusq; potens, & Sfortia fortis,
Et Gonsaga etiam, multo quoque robore magnus
Borgesus, Cytharaq; valens & carmine Medix,
Estensisq; hæros, & Cencius, atq; Sabellus,
Fortibus hi pugnant animis, italasq; Cohortes
Ad certamen agunt, Solymorũ & sanguine muros
Aspergunt; pugnant contrà crudeliter hostes,
Et cumulant cædes, ante omnes dira virago
Innumeros Penæa ferit, lethoq; remittit.
Trux quoque Lãbertus, Thamyris, crudelis Alexis,
Eurydamas, Glarusq; armis insignis & auro
Infamis Carius, Diuum contemptor Ephebus
Immundum tingunt Romano sanguine ferrum:
Nec nisi sãguineusq; Furor, Mors pallida passim,
Gradiuusq; minax, oculosq; aduersa tuentes
Ira videbatur odijs exercita longis.
Stabat & ipse Dolor dimissa fronte gemiscens
Effætus macie; & nigra sub veste volutus,
Moestaq; coerulea Pietas circundata palla
Scissa comas, lachrymisq; comas suffusa nitentes.

Sic dum pugna atrox, & cædum crescit imago,
Quà gens densa magis Regetus se duxit ouantem
Luminibus toruis, teq; ardens Attila poscit
Inter tot gladios, & tot densissima tela.
Tullius & quamuis fraterno motus amore
Opponat sese contrà, gladioq; laboret
Terrificum probibere Ducem, longeq; mouere
Nil agit, & gelido perculsus pectora motu
Secessit demum fratris tutamina linquens.
Vt leo, qui pratis lætantem gramine taurum
Excelsi dudum aspexit de culmine montis
Saxa per & dumos graditur violentus, & illum
Improuisus adiit, & toto corpore supra
Exardens oculis astat, miserumq; per agros
Prosternit, centumq; trabit per vulnera vitam;
Hastiferum haud aliter Regetus se immisit in hostē,
Proiectumq; premit, nec quamuis multa precetur
Linquitur, obscurum donec migraret in orcum
Attila, & exanimum spectetur ab arce cadauer
Præceps irruere, vt saxum de montibus altis.
Romulidæ quoniam ad fluctus Sol pronus iberos
Iuerat, incepto statuunt absistere bello,
Aptius ad pugnam optantes succedere tempus.
Tunc alij scalis alto descendere muro;
Præcipitiq; alij saltu remeare videntur.
In fossas, vbi cæsa virum tot corpora languent,

Secum diuitias, argenti pondera & auri,
Ioanni antè alios erat hic acceptus, & vnus
Par illi insidijs, par astu, & crimine in omni,
Contemptorq; virum, & legum, mortisq; Deũq;
Vrbis parte alia, quam Sol prospectat ab indis
Exoriens, vigilant turmæ felicis Abillæ,
Immanesq; viri Tarelæ, Samaresq; Recesq;
Et gentes Amosa, Masphaq; Selaq; profectæ.
Pectore sunt etiam hic forti, quibus arduus Hemon
Est domus, atq; Sylus, duplici quoq; nomine Luza,
Atq; vnà has iuxtà assistit lætissima pubes,
Quæ Phasgæ excelsi, atq; Hermi properauit ab oris,
Gens assueta sacri Iordanis ludere in vndis.
Nec minùs hic contrà Aeneadas sociantur in armis
Qui celsam Nasona tenent, nitidumq; Aserota,
Nephtalis atq; vrbem, magnasq; Berothidos arces,
Tot geminis Ducibus populorum millia parent,
Alter habet nomen Dorchas, habet alter Amanus,
Hic geticis atauis, graijs tamen ille superbit
Sunt feritate pares, vitijsq; instructus vterq;.
Parte Austri sũt quinque Duces genitore creati
Lampridio, quos dura pater nutriuit ad arma
Artemq; edocuit, sæuiq; præceptaq; Martis,
Aldemius, Cares, Albertus, Alexis, & Hector
Hos Zabulones ponti gens accola in armis
Sectantur, quosq; Ama dedit, quos Aziba misit.

Nec

Nec minus his parent quos Nepheca protulit, & quos
Auis, Balmeq; & saxis penè inuia Arimne.
Et qui liquerunt Sebamam, veteremq; Sebastem,
Bassais atq; arces, nec non Batbaltidos oras,
Quosq; rigat celsis refluens de montibus Arnos.
Sunt etiam hic Doræ ciues, populiq; Ieblæ,
Argobiæ quiq; arua serunt, Canæq; stupentis
Olim mutatas in vina rubescere lymphas,
Sensena quæq; tuos habitant vberrima fines
Huic sese iungunt comites, Affræq; Cohortes.
Ter tres ductores retinet pars vltima muri
Fulgentes auro latè, cristisq; superbis,
Hi sunt Meriones, Glarus, Ropertus, & Ammon,
Eurydamas, Thamyris, ac insigni nomine clarus
Hasbites, & cui vasti sunt membra gigantis
Automedon, & qui thalamos violare nouercæ
Ausus erat, patremq; ferus mactare Serenus,
Criminibus sed pro tantis dabis improbe poenas,
Atq; inhumata feræ, & volucres tua viscera pascent,
Agmina lectorum sunt his subiecta virorum
Vrbe ab Adulæa, Asanesq; biuerticis arce,
Et quos Iarephile, & Tenachos, quos Asseda, Iabis
Miserunt; simul & pingues Rachællidos agros,
Et saltus Galadina tuos qui vertere aratro

Confiteranti, & qui Betbole venere, Nabeq;
His etiam Betagi Ciues, Hormæq; phalanges
Adduntur comites, & Hierichuntis ab aruis,
Et Gabeone domo quæ discessere cateruæ,
Milleq; etiam deciès his coniunguntur in altis
Moenibus è Solyma: ast alij stant turribus vrbis.
Bis centum turres illi, retinetq; trecentos
Quælibet armatos, parentq; in qualibet vni.
Arboribus syluæ spissis excelsa putantur
Moenia tot pilis, totq; hastis vndique abundant,
Sic numerosa virum dixtinserat arte magistra
Per muros, turresq; altas, Solymæq; per arces
Agmina Ioannes, quem tot per tela sequuntur
Ductores, aciesq; aliæ, quot campus aristas,
Et quot habet pisces æquor, quot littora arenas.
Templum erat vrbe ingens centū sublime colūnis
Conspicuum, augustum, visu mirabile, sanctum,
Quo non prisca vnquam, quo non præclarius vllum
Postera mirata est, & nec mirabitur ætas.
Hoc domino erexit Salomon bipatentis olympi,
Dauidis Salomon soboles generosa potentis.
Longinquis quò sæpè hospes properabat ab oris
Visurus præstantis opus venerabile molis.
Tam magni fuerat latè custodia Templi
A Duce iam dudùm horribili commissa Simoni,
Millia cui terdena hominum parere iubentur

Sub Ducibus certis bellorum signa sequentum.
Portarum inuigilant totidem statione vicissim
Noctes, atq; dies, præsunt quibus armiger Almon,
Cui Libani ter mille errant armenta per agros;
Murranusq; ferox domitor præclarus equorum,
Et Rubene satus diuum contemptor Ephebus.
Non si mæoniæ detur facundia linguæ,
Nec si centenas voces mihi donet Apollo
Belligeras latè turmas, mirandaq; prorsus
Instrumenta vnquam possem numerare canendo;
Terribilesq; Duces, & propugnacula belli
Monte Syon collata, vrbis munimine summo.
Vt verò lux prima data est, noxq; atra recessit
Funestæ sonuere tubæ, signumq; dedere
Luctisonum belli, fremuerunt agmina passim
Bellũ, arma, & bellũ exclamant, capit arma iuuẽ-
Omnes se se armant Itali, cædesq; minantur. (tus.
Magnanimi & iussu Regis tunc Castra mouẽtur,
Incessuq; graui succedunt moenibus vrbis,
Arcibus & similes vectant ad prælia turres
Vastis contextas trabibus, gyroq; rotarum.
Vt propè deuentum est, Gonsaga innixus adaptat
Spicula curruatis neruis, & tendit in vrbem
Ingenti stridore volat leuis icta sagitta
Aera percutiens, nec figit vulnere quemquam:
Ille autem sed non frustrà iactabitur inquit,
Pro-

Proxima, & emisit, citiùs volat icta per auras.
Nec quòd Marcellum feriat sub fronte moratur,
Ast vltra dilapsa fugit rubicunda cruore.
Ille cadit moriens, & vitam, atq; arma reliquit.
Cætera continuò pubes edocta sagittas
Intorquet, telis pugnant è moenibus ijsdem
Obsessi ciues, & funda saxa retorquent.
Obscurum fecere diem, lucemq; tulerunt
Saxa tot innumeris saxis, mixtæq; sagittæ.
Parte vtraq; cadit miles: sed copia maior
Traditur ex Italis morti, vicinaq; vadunt
Ad loca murorum, & passim pugnatur in illis.
Concurrunt matres pauidæ, & sublimibus astant
Turribus, & piceos ignes, & saxa per hostes
Iactant militibus mixtæ, innuptæq; puellæ:
Ast aliæ quæ non audent comprendere tela,
Inualidiq; senes æuo sacra Templa frequenter
Talibus orantes ibant. Rex maxime Regum,
Optime Rex hominum, Diuumq; æterna potestas
Veliuoli maris, & terræ, Cæliq; repertor
Auxilium tandem miseris poscentibus esto,
Nostra sit vrbs victrix, hostes penitusq; subacti.
Parte alia obsessam defendunt fortiter vrbem
Intrepidi Ciues, animis & fortia monstrant
Corda, nec Aeneadum numero terrentur & armis.
Hasta Hastam contrà, ensem ensis confertur, &
ignis

Contrà ignem, & lapides contrà cum pondere saxa.
Fraxinea multi cæduntur cuspide; multi
Ense cadunt rutilo, innumeri facibusq; queruntur,
Saxa premunt alios, morientum mille figuræ,
Fossisq; intefectorum spectantur acerui.
Quot fractas vallo pharetras, quot spicula, & arcus
Vndique consumptos, quot tela cruenta videres,
Et fragiles galeas, disiectaq; scuta iacere
Sanguineos inter fluctus, hostesq; peremptos?
Nec retrò cædunt, quamuis tot funera dentur
Romulidum turmæ, lethiq; pericula vitant;
Sed magis, atq; magis furiato pectore pugnant,
Ductoresq; alacres bellanti præmia, si quem
Defecisse vident promittunt sumere poenas.
Ioannesq; suos Solymos hortatur, & ore
Quo posset lenire feras hæc orsa ferebat.
Nè trepidate viri, date fortia pectora bello,
Exercete omnes robur, patriæq; patrumq;
Antè oculos sit iustus amor, pietasq; fidelis
Coniugis, & vestræ, & natorum cura salutis,
Eia agite ò fidi, nostra est victoria ciues,
Cæsorum cumulos video, Aeneadasq; labantes
Et vix è nostris rapuit sors vltima paucos.
Talibus ille suos dictis animauerat omnes
Ad pugnam, nec fortè aliter sat mollia firmat
Pectora natorum audacem perrumpere turbam
Venan-

Venantum, si quando dolos, aut retia tendunt
Torua leæna acuens sylnestres corde furores.
Est locus in muris Austri de parte supremus
Excelsas iuxtà turres, tibi contigit illum
Defensare, tuisq; viris fortissime Ductor
Admete, hùc se se multo cum milite duxit
Antiochus macedo, totis qui viribus instat.
Tùm leuibus scalis molitur scandere muros,
Et lapidum nimbo, iaculorum & nubibus actis
Ingenti se defendit testudine tectus.
Biscentum periere sui: ast euaserat ipse,
Excelsumq; locum muri propè venerat vnus,
Militibusq; viam fecit, frustraq; repugnat
Defensor muri, & frustrà se opponere tentat,
Vulnera multa facit certans, hauritq; cruorem
Hostilem ferro: sed dat pro vulnere vitam,
Antiochus vitam prò accepto vulnere ademit.
Ceù lupus in pleno furtim spatiatus ouili
Extinctum si conspiciat, nec obesse valentem
Custodem, solers qui sæpè obstare solebat
Irruit agnorum in turbam, & discrimine nullo
Hos fugat, hos perimit, capit hos & dente trucidat;
Sic macedo muri postquam defensor obiuit
Inuadit socios trepidantes morte recenti,
Et nulli parcens Solymorum corpora letho
Multa dabat, multis figebat vulnera tantùm.

Forte

Fortè Megassarus vidit velocior euro
Venit, vbi ille truci insultabat clade superbus,
Vociferansq; refert, cur tanta licentia demens
Est tibi? quò violente ruis? desiste, mihiq;
Te confer, venisse statim hùc scelerate, dolebis.
Non verbis, inquit, Macedo pugnabo profusis;
Sed rebus, prò voce feret tibi lethifer ensis
Responsa, & mecum te certauisse pigebit.
Dixit, & erexit ferrum, caput ense parabat
Findere; dexterior Solymus sed robore vasto
Antiochi costas trasfixit cuspide acuta,
Et clypeo opposito minuit, furiasq, represſit
Hostilis ferri, nec vulnere læditur vllo.
Saucius Antiochus ictus iterabat inanes,
Horribiliq; Duci vulnus dùm inferre putauit
Percussit lapides disiectaq; saxa volarunt;
Concretis etenim obruitur compressa tenebris
Lumina commotis venis, titubatq; cerebro.
Non aliter quùm nigra puer velamina ludens
Nectit luminibus signatam tangere metam
Non valet, & recto terram modò stipite pulsat,
Saxa modò, & frustrà nũc hùc, iàm voluitur illùc.
Labentem vt vidit stridenti vulnere cæcum
Hostem comprendit Solymus, propellit & extrà
Moenia, tùm fatur, sic sic taciturne ferebas
Te pugnaturum? i præceps, similisq; volanti

Ima pete, & nigri Regnum Phlegetontis habeto
Decidit in fossas, saxoq; infixus acuto
Emoritur miser, & tristes volat vmbra sub vmbras.
Antiochus tùm quà murum conscenderat audax
Turri alta Aeneadæ crudelia bella gerebant,
Vrsinus, Placidusq; potens, & Sfortia fortis,
Et Gonsaga etiam, multo quoque robore magnus
Borgesus, Cytharaq; valens & carmine Medix,
Estensisq; hæros, & Cencius, atq; Sabellus,
Fortibus hi pugnant animis, italasq; Cohortes
Ad certamen agunt, Solymorũ & sanguine muros
Aspergunt; pugnant contrà crudeliter hostes,
Et cumulant cædes, ante omnes dira virago
Innumeros Penæa ferit, lethoq; remittit.
Trux quoque Lãbertus, Thamyris, crudelis Alexis,
Eurydamas, Glarusq; armis insignis & auro
Infamis Carius, Diuum contemptor Ephebus
Immundum tingunt Romano sanguine ferrum:
Nec nisi sãguineusq; Furor, Mors pallida passim,
Gradiuusq; minax, oculosq; aduersa tuentes
Ira videbatur odijs exercita longis.
Stabat & ipse Dolor dimissa fronte gemiscens
Effætus macie; & nigra sub veste volutus,
Moestaq; coerulea Pietas circundata palla
Scissa comas, lachrymisq; comas suffusa nitentes.

Sic

Sic dum pugna atrox, & cædum crescit imago,
Quà gens densa magis Regetus se duxit ouantem
Luminibus toruis, teq; ardens Attila poscit
Inter tot gladios, & tot densissima tela.
Tullius & quamuis fraterno motus amore
Opponat sese contrà, gladioq; laboret
Terrificum prohibere Ducem, longeq; mouere
Nil agit, & gelido perculsus pectora motu
Secessit demum fratris tutamina linquens.
Vt leo, qui pratis lætantem gramine taurum
Excelsi dudum aspexit de culmine montis
Saxa per & dumos graditur violentus, & illum
Improuisus adiit, & toto corpore supra
Exardens oculis astat, miserumq; per agros
Prosternit, centumq; trahit per vulnera vitam;
Hastiferum haud aliter Regetus se immisit in hoste,
Proiectumq; premit, nec quamuis multa precetur
Linquitur, obscurum donec migraret in orcum
Attila, & exanimum spectetur ab arce cadauer
Præceps irruere, vt saxum de montibus altis.
Romulidæ quoniam ad fluctus Sol pronus iberos
Iuerat, incepto statuunt absistere bello,
Aptius ad pugnam optantes succedere tempus.
Tunc alij scalis alto descendere muro,
Præcipitiq; alij saltu remeare videntur
In fossas, vbi cæsa virum tot corpora languent,

Et cuncti ad vallum celeres, & castra recedunt.
Tùm Socijs Itali feruenti vulnera curant
Militibus studio, curaq; tenentur eadem
Obsessi ciues, medicis ægrosq; leuabant
Auxilijs, nec mente minor sententia surgit
Mortua sub tumulo sociorum condere membra
Per noctem, attulerat Cælo nox atra tenebras.
Hìnc omnis legio meritos sortita labores
Excubat, & Cælo insomnis se exercet aperto.
Alipedum multa postquam vi tractus equorum
Noctis iter medium currus compleuerat atræ.
Tristia Traiano mulcenti pectora somno
Talia dicta dabat moesta sub imagine coram
Visus adesse Lifron, quem per tot prælia fidum
Traianus nouit, vero & dilexit amore.
Optime Dux, qui Romana & si ingentia Regna
Efficies maiora olim, tot multa parabis
Oppida submittens armis, populosq; potentes
Sub latè Imperio ponens dùm vita manebit,
Si mea dùm vixi non aspernatus es vnquam
Consilia, & semper pacata fronte probabas,
Nunc licet extinctum videas (sic fata ferebant)
Extincti dignare precor (Dux optime) voces;
Nàmq; eadem stat firma fides, stat firma voluntas,
Quæ viuo mihi semper erat: per numina iuro.
Istis Traianus turbatus pectora dictis

Attonito

Attonito surgens similis, sic ora resoluit,
Verè te aspicio? vera in te vulnera cerno?
Inter tot, tantosq; simul mors impia traxit
Te (dilecte Lifron)? verè me, & vulnera vera
In me cernis, ait: laceri sed corporis vmbra
Sum, nec pelle tegor, carnemq; atq; ossa reliqui,
Et spolium mortale hostes rapuere furentes;
Obsessam sed enim nostris immixtus ad vrbem
Accessi, & multo ascendi conamine muros.
Tunc ego credebam, sed spe inducebar inani,
Nos fore victores, Solymi quia funere multos
Afficiunt, aliosq; fugant ad castra reuerti.
Vnus ego infelix intra vrbis moenia ducor,
Seù casus, seù certa Dei foret ista voluntas,
Dùm cupio astantis uitare pericula mortis;
Quandoquidē interclusa omnis mihi semita uisa est,
Vndique tàm multo fueram circumdatus hoste.
Hìc ego quid facerem? nulli conspectus adibam
(Cuncti adeò intenti pellendis hostibus instant)
Nunc hùc, nunc illùc quærens si fortè paterent
Egressus tuti misero, tantisq; periclis
Noscere cura subit, qua parte urbs cædere posset
In nostras deuicta manus, quà uè illa resistat
Nec sineret uinci, ut si unquam fortuna remittat
Me incolumen, uobis cuncta hæc ex ordine pādam:
Sed Cælo haud uisum est, quærentem talia miles

Moeni-

Moenibus ex altis longè spectauit, & inquit
Intrà vrbem, ò ciues, hostis, meq; indicat illis
In me concurrunt omnes, mea damna reposcunt
Vnanimes, captumq; tenent, religantq; catenis,
Et tormenta adbibent, gaudentq; illudere capto,
Quiq; forem discunt, quo casu hìc actus adessem
Me verum dicente sciunt, tùm feruidus omnis
In me contorsit ferrum, & tot multa dederunt
Vulnera, quòd toto haud superest in corpore plagis
Nempe locus, nec corpus habet, sed plaga figuram:
Sed pretiosa licet tulerint mihi munera vitæ;
Non rapuere tamen vindictam, artemq; nocendi,
Vmbra nocere queo, liceat mihi vera fateri
O cælum deturq; fides mihi vera fatenti.
Tempore quo cecidi lethalia vulnera passus
Spectaram circum fortissima moenia lustrans
Vrbis, & aduerti gentes, armataq; noui
Agmina, diuersumq; genus mirabile belli
Instrumentorum, nec quod mortalia possent
Robora munitos vidi subuertere muros
Copia tanta virum est, telorum copia tanta,
Tàm docta fabricata manu, firmataq; longè
Humanas suprà uires se moenia præbent:
Præualidis at in vrbe locus stat moenibus ipsis
(Vnum conspexi atq; alium non esse putarim)
Parte ex occidua munitus simplice muro,

Hunc

Hunc etiam non magna cohors clypeata tuetur,
Ingressus italis igitur (Dux maxime) ad vrbem,
Tentandos hinc esse reor, scalisq; petendos,
Vrbem hinc vincetis, belli si doctus ad artem
Ipse fui. & mea dicta Tito, Traiane, reporta,
Namq; moras alias ima producere terra
Quippe vetor. Dux è thalamis sua mēbra leuauit,
Seq; armat, Noctis quoniam cessere tenebræ.
Atq; Italum Regi pandit mandata Lifronis
Conspectu in medio procerum, quæ cuncta reuoluēs
Rex animo, turmas iterum se accingere bello
Imperat, & qua parte vrbis sint moenia narrat
Expugnanda. citi armantur, tunc agmine longo
Castra vrbem incurrunt densis fulgentia telis.
Vix belli signum, nec tela exercuit vllus,
Quùm subitò nebulis cælum conspergitur atris,
Nec prorsus fas nosse diem, Phœbusq; recessit,
Tunc Eurusq;, Notusq; ruunt, ac vndique venti
Commota imperium rabie per prata tenebant,
Acriq; ex imo perculsa euellitur arbos
Turbine, & in terras magno rumore recumbit,
Ac tellus concussa tremit, montesq; fragosi,
Intonuitq; polus, crebro simul igne refulsit,
Mortalesq; animos iratus terruit æther,
Aerijsq; plagis multo cum grandine mixtus
Vertitur ingentes dùm labitur imber in amnes,
Quaq;

Quaq; solum fuerat, qua terra exarserat æstu
Flumina discurrunt, cumuli & voluuntur aquarum,
Vndique spectantur fluctus, ac vndique pontus.
Attoniti absistunt Romani, atq; æthere aperto
Immissos capiunt imbres, ventosq; volucres
In medijs patiuntur aquis cæliq; ruinas.
Intereà pars ad vallum confusa ruebat,
Hùc illùc alij vadunt incerta locorum.
Sic auium pauidæ nocturno tempore turmæ
Interdum fugiunt, somnosq; nemusq; relinquunt,
Errantq; in syluis, si accenso lumine pastor
Stipitibus tentat, Siluestri aut prendere rete.
Obsessi pariter casus nouitate timebant.
Rari adsunt muris tot tempestatibus ortis:
Sed non Ioanni cessere audacia vota
Bellandi, qui vociferans turri inquit ab alta.
Quò ruitis? quò terga datis formidine pulsi
Hostes Romani? pluuias, tonitrusq; pauetis?
Sic sueti tristes belli sufferre labores?
Sic hyemis tolerare minas? ite, ite serenam
Expectate diem prædis, aptamq; rapinis.
Talia iactabant, quæ aliquis dùm cominus audit
Fortè è Romanis dicta hæc effundit in auras.
Aduentet iustum pugnæ, nè accersite tempus,
Quùm vires Italum, Solymi, noscetis & arma.

Quid


Quid valeant, & quàm meliùs iunxisse fuisset
Foedera nobiscum, Martemq; odisse cruentum.
Præ Castris vigilum intereà hæc vox fertur ad aures
Romani proceres Solymam sat vincere digni
Obsessam, atq; hostem penitus frænare superbum.
Tàm sæuo imperio me iam deducite tandem,
Et socium vestris quæso coniugite rebus,
Si vestro pietas animo, si parcere iustis
Et miseris prodesse vnquam didicistis amicis
Per cælum iuro, magni per numina Cæli,
Per qui sublimem potuit componere olympum.
Me Italica dè gente satum laurentibus aruis.
Si accipiar castris equidem scio multa referre,
Et nunquam vestrum numero accepisse pigebit.
Talibus auditis iuuenem mirantur inermem
Romani è Castris, tenebrarum abscesserat horror
Et non tàm densis fulgebat nubibus Iris,
Supplicibus lumen manibus super æthera vtrumq;
Vertentem, & precibus miscentem flumina luctus.
Hic Mannæus erat Tyrreno qui æquore raptus
Hostibus à sæuis puer hanc fuit actus in vrbem,
Mansitq; hic certus Solymorum linquere gentem
Quùm tempus dederit. tempus nūc se obtulit vltrò.
Accipitur castris tandem tàm multa precatus
Sæpiùs & coram Ducibus rogitantibus ille

Plurima veridico patefecit pectore semper,
Et nomen, patriamq; virum, numerumq; genusq;
Cunctorum narrat Solymæ quicunq; morantur.


Finis Quarti Libri.



Io:



IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER QVINTVS.



ORRISONI postquam tonitrus, ventiq; minaces
Cessarunt penitus, tempestatesq; furentes.
Vndique lætantur volucres, solemq; reductum
Gutture dulcisono latè, modulisq; salutant.
Nec minus exultant Itali, Solymiq; proterui:

Cæstius at tantùm languentia pectora tristis
Exagitat cura ardenti, Phæbumq; diemq;
Horrescit, noctisq; cupit properare tenebras.
Quandoquidem solitam secreti fontis in vndis
Penæam audierat prima se mergere nocte
Membra lauaturam, ripas propè veste relicta,
Mannæus dudum edocuit, fontisq; notauit,
Signauitq; locos illi. Romanus ad ipsos
Continuò latices votis exarsit eundi,
Expectatq; aptam nocturnis fraudibus horam,
Atq; vt si medio Cæli retineret in orbe
Phæbus equos, suetumq; viæ finire laborem
Nolit, & expulsa incipiat splendescere nocte
Impatiens queritur confixus vulnere Amoris
Cæstius, & tales rumpebat pectore voces.
O semper nocuo spem qui deludis amantum
Lumine, quid nostram prodest turbare quietem
Phæbe, quid ægrotam gaudes effrangere mentem?
Fortunam cur ipse meam, cur gaudia differs?
Inuide quid nostris Penæam amplexibus arces?
Scis equidem quibus acta forent mea pectora curis
Tot miser impleui lamentis æthera summum,
Totq; meos querulis patefeci vocibus ignes.
Heù non te miseret tantorum, Phæbe, dolorum?
Quid tamen insanis committo verba procellis?
Absorbet mea dicta Notus, Boreasq; resoluit,
Atq;

Atq; meas temnit Phœbus surda aure querelas,
Et magis optatam gestit propellere noctem.
Vocibus his Phœbum incusat Romanus acerbis
Multa gemens, altoq; premit sub pectore vulnus.
Vt verò tenebris cessit lux alma diei,
Et Sol Oceani auricomus se traxit in vndas,
Velox tela capit, solitis & se induit armis,
Et super altus equo insedit, castrisq; relictis
Cæstius egreditur; vigilum violentia nulla est,
Tanto quisq; viro cædit, tacitusq; meabat,
Nec comes vllus erat, solo it comitatus Amore,
Et quò ducit Amor vadit securus, & audax,
Vtq; alas si habeat Sonipes celer ibat anhelans,
Collectasq; vdo reddebat pectore spumas.
Iàm colles longè, & valles post terga reliquit,
Fontemq; aduenit, celsi sub vertice montis
Arboribus circùm densis includitur ille
Fons, & perpetuò tegitur viridantibus vmbris,
Et grato strepitu, placitaq; obmurmurat vnda.
Florida tum demissus equus per prata quiescit.
Cæstius ad fontem pauitanti corde propinquat,
Vtq; tremit pontus leni commotus ab aura,
Sic tremit ille suam credens in fonte puellam
Visurum. infelix partes circumspicit omnes,
Et nunc hùc acies flectit, nunc vertit & illùc;
Nàm clarè radijs argentea luna micabat,

Sed

Sed frustrà; vultus etenim spectare nitentes
Penææ nusquam potuit, solùmq; videbat
Virgulta, & passim frutices, laticesq; fluentes.
Audet &, ò quantum mortali in pectore regnat
Fortis Amor, clamãs tèr vocem extollere ad auras,
Penæamq; vocat; tamen haud responsa dabantur,
Et verba ex antris Echo interrupta ferebat.
Talibus inde modis ora indignantia soluit
Cæstius, heù diri superi, crudelia fata,
Ingratum misero cælum mihi, sæue Cupido,
Qui sæpè ostendis pacem, bellumq; ministras,
Et me perpetuo cogis languescere letho
Optatæ quotiès promittis munera vitæ.
Hæc animo concepta quies? spes ista salutis?
Sic reddor felix? à me sic damna fugantur?
Heù vbi florigeri sperabam tempore veris
Posse frui, æstatem penitus dilabor adustam,
Et dum pomiferum Autumnum subijsse putabam
Algentes hyemes patior, brumasq; rigentes,
Quærentemq; ægræ dudum solatia mentis
Maiores agitant curæ, reprimuntq; labantem.
Heù quot fingebam fontem mihi multa daturum
Gaudia, tot præbet curas, aconitaq; profert
Herba prò viridi, & pro limphis atra venena.
Quò miserum me fata trahunt? Acheronte refuso
Sulfureos volui fluctus, undasq; reuolui

Te,

Te, Penæa, absente reor mea sola voluptas.
Cæstius hæc queritur furijs commotus, & ira,
Maioresq; suo mandabat pectore questus,
Qum subitò hùc prouectus equo se contulit hæros
(Creditur esse hæros, nàm cælat casside vultus,)
Armis indutus nigris. tùm uoce lacessit
Romanum magna, belloq; ità prouocat acri.
Exoptatus ades, te te mea dextra poposcit
Ex quo infelicem Oldrysium certamine summo
Orbasti victor luce, & uitalibus auris;
Funere pro tali debes mihi soluere poenas;
Namq; ego iuraui vlcisci miserabile fatum,
Atq; ideò nigra arma gero, neq; nigra reponam
Ni priùs ulciscar. Frustrà mihi tanta minaris;
Nam quoque tu Oldrisij uelox comes ibis ad umbram
Si sum qui fueram, si animo uigor imminet idem
Cæstius exardens inquit. mora diffugit omnis
Prosilit hostis equo, & tenuem pede calcat arenam
Nam pedes alter erat, uaginaq: eripit ensem.
Vtq; leæna timens catulis, quos condidit altis
In siluis, si pastorem prospectet, in illum
Acta furore graui currit prosternere quærens,
Romanum inuadit, pectusq; infigere signat,
Excipit ense ensem Romanus, it ictus in auras,
Inq; hostem torsit ferrum, thoracaq; rupit

Dexte-

Dexterior, pectusq; simul, sed vulnere paruo,
Vt vix sanguis eat. nescis ah, perdite nescis
In quem adeò, Cæsti, sæuis, cui vulnera figis,
Si scires, non hæc contrà fera bella moueres,
Hæc tua Penæa est, adeò quam diligis vnam,
Pars animæ, meliorq; tuæ sub vestibus atris,
Insolitisq; armis, primùm nàm candida habebat,
Quæ solitas vitrei fontis veniebat ad vndas,
Sors inimica tibi inuidit, fatumq; malignum
Omnem spem rapuit, casu & te immersit acerbo.
Penæa ingeminat vires, vt vulnus iniquum
Sensit, & immani Romanum verberat ictu
Læuo humero, stetit ille tremens, magnoq; fragore
Intonat omne nemus, siluæ intonuere profundæ.
Vt nocte interdum Boreæ ressplendet in oris
Fulguribus spissis aer, completq, tuentum
Lumina, sic crebris scintillant eminus enses
Ictibus amborum. atq; aliter non fortè gigantum
Brachia quùm iussi tollunt incude sub atra
Arma sonant, horum crepitant vt tela furentum.
Arte diù mira certant, nec figitur alter
Vulnere, quin subitò alterius det corpore plagam,
Virtutemq; altam, ac animos, stupidusq; supremas
Alter in alterius miratur corpore vires,
Et magis ignescunt ambo, crescuntq; furores
Amborum, quantum ex ipsis magis vnda cruoris

Elicitur ferro. Multo iàm sanguine tincta
Arma rubent, propior madefacta est vndiq; tellus.
Nullaq; prætereà ratio virtutis habetur;
Namq; armis furor ipse viget, tùm prælia casu
Exercent obliti artis, rationis egentes.
Nec quò dextra cadat, quò ve hostis vulnera figat
Attedunt. Fortuna regit, fauet illa, nocetq;:
Sed fauit, Penæa, tibi, tua gloria victi
Hostis erit. terræ Romanus debilis hæret
Vulnere procumbens, & multo sanguine læsus.
Qui languens sic ore refert, humilisq; precatur
Quis quis es, ò fortis, vicisti, nec mihi vires
Vltrà subueniunt morienti, animusq; recessit,
Vnum oro, nè cæde priùs, ferrumq; remitte
Intereà, si fortè preces tua pectora tangunt
Illius quem prostratum tua dextra subegit,
Quùm Solymæ fueris Penææ dicito vita
Me functum, dùm sospes eram mihi carior illa
Non fuit, huic vni volui succumbere amori,
Illius vt vultum subiecto lumine vidi,
Atq; ipsam quærens fonte hoc ea fata reporto,
Vix notum, aut forsan spretum miserabitur ignem
Illa meum, ò siquidem me terq; quaterq; batum
Si eueniet, lacbrymasq; audito funere sparget,
Quæq, tibi cædo Placido hæc sit cura referri
Arma precor, vix est Castris hoc dignior alter
O Postrema

Postrema hæc animi vix enarrantia curas
Dixit, & illius magnum inspirauit amorem
Pectore Romanus supplex dùm talia poscit,
(Siq; amor haud fuerit pietas fuit) illa repentè
Romano se se facie monstrauit aperta;
Nàm tenebræ cessere, diemq, ferebat Apollo.
Vtq; solet placidè splendescere Cynthia quondam
Quùm nebulæ Cælum inuoluunt, si cædere nubes
Incipiant, sic ore nitet Penæa retecto,
Et graue fert certis morientis vulnera signis,
Et vix continuit lacbrymas; quin mille parabat
Languentem releuare modis, & vulnera vellet,
Quæ priùs illa dedit studio curare salubri,
Et non vulgares carpit de montibus herbas
Docta satis, læsum vt firment, & sanguinis vndã
Diuertant: sed nõ prosunt medicamina quidquam;
Nàm magis, atq; magis dimotis viribus æger
Deficit, & tantùm Penææ lumina flectit,
Et dextram dextræ pro voce extendit inermem
Pacis signa ferens, ridentiq; ore cruentus
Sorte sua lætans anima sinè mansit: at illa
Vulnera tùm medicans proprio quæ in corpore habebat
Curare auxilio intendit, tristisq; redibat
Tanti morte viri ad Solymos, vnde ipsa putabat
Mittere, qui hærois functi miserabile corpus

Per-

Perducant campo, vt tumuli decoretur honore.
Hinc Italis odia vt sereret, furiale venenum
Per campum Furia effundit, vulgatq; peremptum
Cæstium, & insidijs Placidi occubuisse fatetur,
Causasq; innectit varias, & plurima fingit,
Multisq; enarrans iacit aspera semina pugnæ,
Et magna irarum populis incendia miscet,
Atq; nouas agitans inferno pectore fraudes
Fit Iapix Regi Aeneadum acceptissimus augur,
Oraq; arat rugis, & cingit tempora canis
Crinibus, & duro curuatus stipite inhæret
Tartareos linquens habitus, alasq; nigrantes.
Albinumq; adijt moerentem funere amici,
(Carus erat multis Albino Cæstius annis,)
Atq; etiam bello fidum cognouerat omni,
Illum ideò postquam crudeli morte necatum
Audierat, moerore animi confectus agebat
Ipse suum cor edens intrà tentoria solus,
Quem Furia alloquitur falso sub Iapigis ore
Eccquid agis Albine? tuus remanebit inultus
Cæstius æternùm Placidi quem dextra peremit?
Hoc amor, hoc tua prisca fides poscebat in illum?
Non nè alij ipsius tristantur funere acerbo?
Non nè Titus dolet ipse viri lachrymabile fatum?
Communem multis ergò patiere dolorem?
Hoc pietas, hoc iura iubent? sic vltor amici

Ipse eris? hoc tantùm de te miserabilis vmbra
Sperabat? sic Patroclum fuit vltus Achilles?
Quid de te Aeneadæ? quid tota hæc Castra loquētur?
Quiduè autor sceleris Placidus? quātū ille superbus
Ridebit non esse truci pro crimine poenas
Qui poscat meritas? & si te cura sodalis
Non mouet extincti, aut pietas, aut ira, fidesq;
Cogere debet honor, cunctis honor ante ferendus.
Talibus Albino stygias accenderat iras
Moerenti Furia, & tenues volat inde per auras,
Inq; alios alias immittit sedula fraudes. (quit,
Ille autem vltrici hac dextra feret improbus, in-
Supplicium Placidus cari pro funere amici.
Et veluti Tigris, rapuit cui prouidus ante
Venator natos nunc hùc, nunc vadit & illùc
Latronem quærens occidere plena furoris;
Dextram ense armatus furiato pectore cæcus
Sic ruit Albinus, Placidumq; per agmina lustrat
Interfecturus, multi comitantur euntem
E populis etiam, quos ad ciuilia bella
Perduxit Furia, ac odium ad crudele coegit:
At Placidus, Medix, Pinella & stirpe creatus,
Sfortia, & Henricus, nec non Traianus iberus
Inter se longo socium sermone requirunt
Cæstium, & indigno concussi pectora casu
Vnanimes moerent, incertum & cædis iniquæ
Autho-

Authorem incusant, cuperent & sumere poenas.
Venerat hùc atrox Albinus, & ore sonoro
Increpat his Placidum dictis, & prouocat armis.
Magna trophæa tibi siquidem, tibi gloria parta est
Maxima; quãdoquidem insidijs, & fraude, dolisq;
Cæstius Aeneadum robur iacet æthere cassus
Vulturibus præda, atq; feris, canibusq; malignis,
Quem, Placide, interfecisti sæuissime nuper:
Sed poenas mihi persolues hac vindice dextra,
Pectoribusq; tuis animam violentus, & ipsum
Cor scelerũ sedem eripiã, & tua membra volucres
Aeriæ rodent. Contrà huic responsa referre
Criminis obiecti Placidus sermone parabat
Altisono; Albinus tamen irruit impete vasto
In Placidum stygioq; animo metuendus & ense.
Sic taurus, quem mouit amor, raptæq; iuuencæ
Cura potens taurum inuadit, cui fixit eandem
Corde venus, placitæ dùm hæret per florida rura.
Opponit clypeum Placidus, clypeoq; receptat
Ictus Albini, & rutilo se se ense tuetur.
Arma etiam exercent Placidi tutamine fortes
Sfortia, & Henricus, Medix, Pinellus, Iberus,
Subiectæq; illis acies quoque prælia miscent
Aspera cum turmis, fuerant quæ ad bella secutæ
Albinum, ascendit suprema ad sydera rumor
Bellantum, armorũ & strepitus, clangorq; tubarũ,
Atq;

Atq; Aquilas Aquilis, & pila minantia pilis
Cernere erat, lethale canit ſata nocte profunda
Bellorum ſignum Furia, & de culmine montis
Conſpicui albente, & multa viridantis oliua
Romulidum gaudens circumſpicit agmina longè
Se ſe inter fremere, & magno confuſa ſuſurro
Obſtrepere, vt quondam horriſonis agitatus ab Au-
ſtro
Flatibus auditur diffundere murmura pontus.
Atq; vbi cum Placido Albini pugna aſpera ſurgit
Romani iuuenes ex omni parte ruebant,
Ceù ſi hoſtes Caſtra aggresſi ſpatientur in illis.
Albinoq; alij, Placido multiq; fauebant
Vt ſua quemq; trahit ſocia arma mouere voluntas.
Intereà certus Regi narrauerat autor
Exortam caſtris labem, ſæuosq; tumultus:
Ipſe autem extemplò ſe ſe referebat, vbi illi
Ciuili dextras furibundi ſanguine tingunt.
Dum graditur glomeratæ acies, velut agmine
facto,
Armatæq; manus procerum poſt terga ſequuntur,
Huicq; nouas iungi ſemper fas cernere gentes,
Sic Padus excelſo veſuli de vertice ſurgens
Exiguus primùm viridantia prata perrerat,
Dein magis, atq; magis labendo creſcit, & alueò
Non capitur tumidus, tot ſe illi flumina miſcent.
Vt

Vt verò accessit Rex maiestate verendus
Quæ vobis, inquit, quæ tanta licentia ferri?
Quis furor, aut quæ vos insana cupido cruoris
Exagitat? dirum quæ vos portastis in hostem
(Romani) arma sinam Romana in viscera condi?
Non equidem, motos animi componite fluctus
Cæptaq; id iubeo, tandem desistite pugna.
Impunè an tales ausus tentasse putatis?
Hæc vbi dicta dedit celeres præcepta facessunt
Cuncti, sanguineosq; enses, atq; arma reponunt,
Compressæq; silent flammati pectoris iræ,
Laxatæq; odijs dudum reprimuntur habenæ.
Non aliter Boreas vnà, creberq; procellis
Africus, atq; Auster quũ ineunt certamẽ & Eurus
Viribus aduersis, verruntq; imo æquora fundo,
Annosasq; altis vellunt de montibus ornos,
Discutiuntq; domos pastorum, atq; atria Regum,
Aeolus æoliæ si Rex præcepit ab arce
Commotam rabiem, dirum & frænare furorem
Continuò parent, placataq; leniter vnda
Labitur, & rident cælo vndique prata sereno;
Sic Italum princeps postquam sedauerat omnes
Ad sua magnanimus vertit tentoria gressus
Hæroùm latè magna comitante caterua:
Sed magno Placidus curarum fluctuat æstu,
Quem sceleris falsò commissi iniuria turbat,

Nec potuisse neci Albinum demittere ferro
Imperio Regis queritur, castrisq; recedens
Traianum alloquitur, secum qui venerat unà.
Optime Dux, cuius semper me gratia iuuit
Adsis nunc etiam, & dubijs nè deficе rebus.
Aequore ceù medio malè tuta furentibus Austris
Per varios casus partes vaga fertur in omnes,
Securoq; nequit nauis consistere portu,
Immemor atq; illi nescit prodesse magister;
Sic mea mens errat vasta sub mole malorum,
Nec quid agã notũ est, tantus dolor imminet in me,
Totq; meo tristes regnant in pectore curæ,
Causa mali tanti falsò mihi crimen ad auctum,
Nec valuisse hominem punire vltricibus armis,
Qui scelus obiecit, dum Rex vetat ipse seuerus.
An proceres inter foedatus crimine tanto
Præterea castris adero? Italiamq; reuisam
Deuicta Solyma? externas discedere ad oras
Expedit, ignotusq; traham quæcunq; supersunt
Tempora moesta meo lachrymis rorantibus æuó.
Bella valete igitur, domitoq; ex hoste trophæa
Acquisita mihi totiès, discedo', measq;
Res tibi commendo (potero si dicere quidquam
Esse meum) gentisq; meæ tibi maxima cura
Sit (Traiane, precor) scis quantum possit in armis.
Cur tamen Albini potiùs proscindere pectus
Non

Cur tamen Albini potiùs proscindere pectus
Non propero, vt tollam infamis conuitia linguæ?
Tales dum Placidus furiata mente loquelas
Profert, contrà illi hæc Traianus dicta ferebat.
Desine tanta queri, atq; animum cõpesce furentem;
Principiò sedenim metuenda est principis ira,
E castris ergò ad naues discede parumper,
Aut aliò, quoniam certis autoribus vt te
Audiet ipse Titus maculatum crimine nullo; (pi
Quãdoquidẽ occulta haud patitur Deus autor olym
Esse diù scelera, actutum te ad castra vocabit
In te ea vis animi, tantæq; in corpore vires,
Tot per te superatæ acies, hostesq; subacti:
Albinus verò si non dùm funere summo
Extinctus iacet, vt meruit, te nemo reprendet,
Rex vetuit, Regum iussis parere necesse est,
Forsitan infensis quæ per te vulnera membris
Ille habuit mortem properabunt, Ipse nigrantem
Puluere conspexi Albinumq; cruore madentem.
Vade igitur veniet tecum tua viuida virtus,
Ipsa aderit tibi fida comes, fortunaq; semper.
Hæc vbi dicta dedit fido discessit amico
Sæpè vale dicens Placidus, Castra alter adiuit;
Regi vbi Rampoldus dictis incusat amaris
Primorum in medio Placidum, iratusq; profatur.
Cæstius insidijs Placidi, Rex optime Regum,

Occubuit Romanorum fortissimus vnus
(Hoc ego pace tua referam Romana iuuentus)
Cæstius vrbis amor patriæ, Regiq; fidelis
Ingens dum vixit metuentibus hostibus horror,
O Rex nec quisquam poenas ob crimina tanta
A Placido repetat? Placidum num iura tremiscũt?
Sceptra timent Placidum? cui hominum tàm magna potestas?
Delinquant Reges, sua Reges poena sequetur;
Poenæ expers hic solus erit? Rex ætheris alti
In caput infandum Placidi tua fulmina mitte
A poenis quoniam mortali est lege solutus,
Et sibi iure datum quemuis prosternere ferro
Esse putat, nescitq; ideò temerarius vlli
Parcere, & Albinum crudelia facta dolentem
Vulnere percussit dudùm, lethoq; dedisset
Seditione potens nisi, Rex inuicte, vetasses.
Nunc latet, ac alias simulat fugisse per oras,
Quippe malum maius meditans, maioraq; damna
In caput alterius. His addere plura volebat:
At verba excipiens Traianus ab ore loquentis
Non vltrà mala dicta tulit mordentia amicum,
Et toruè aspiciens Rampoldum hæc iactat in auras,
Non iacet insidijs Placidi, dextraq; cruenta
Cæstius Aeneadum murus, fraus omnis ab illo
Exulat, ac odium, atq; iræ, nullæq; mouebant

Ad

Ad scelus hoc causæ, nulliq; id credere suadet
Nobilitas Placidi, generoso & pectore virtus,
Et totiès spectata fides belloq; domiq;
Vnde ego crediderim stolidissima pectora eorum,
Qui Placidum crudele nefas tentasse putarent.
Sceptra timet Placidus Regum, & sacra iura veretur,
Expers poenarum est, quoniam sinè crimine viuit,
Parcere subiectis, & debellare superbos
Nouit, & insonti non tingere sanguine dextram.
Quòd verò Albinus lethalia vulnera passus
Langueat, emeruit, dignus fuit ille perire
Vltrici telo Placidi, cui nomine falsi
Ausus erat sceleris famam turpare decoram,
Atq; ipsum penitus molimine perdere summo:
Nec latitat Dux ille potens, nec cogitat vllas
Insidias, etiam fraudes qui mente parauit
Nulli vnquam, atq; alij semper prodesse voluntas
Illi firma fuit, testor pia numina Diuum,
Omnia si fateor vobis certo ordine vera,
Nec nego discessit, quoniam conuitia letho
Non tulit Albini, meritas qui expendere poenas
Deberet scelus ob tantum: sed Rector olympi,
Cui mentes hominum, delictaq; cuncta patescunt,
Non sinet impunè Albinum traducere vitam.
Audierat Titus, inde toro sic fatur vtrisq;

Dexterior, pectusq; simul, sed vulnere paruo,
Vt vix sanguis eat. nescis ah, perdite nescis
In quem adeò, Cæsti, sæuis, cui vulnera figis,
Si scires, non hæc contrà fera bella moueres,
Hæc tua Penæa est, adeò quam diligis vnam,
Pars animæ, meliorq; tuæ sub vestibus atris,
Insolitisq; armis, primùm nàm candida habebat,
Quæ solitas vitrei fontis veniebat ad vndas,
Sors inimica tibi inuidit, fatumq; malignum
Omnem spem rapuit, casu & te immersit acerbo.
Penæa ingeminat vires, vt vulnus iniquum
Sensit, & immani Romanum verberat ictu
Læuo humero, stetit ille tremens, magnoq; fragore
Intonat omne nemus, siluæ intonuere profundæ.
Vt nocte interdum Boreæ resplendet in oris
Fulguribus spissis aer, completq, tuentum
Lumina, sic crebris scintillant eminus enses
Ictibus amborum. atq; aliter non fortè gigantum
Brachia quùm iussi tollunt incude sub atra
Arma sonant, horum crepitant vt tela furentum.
Arte diù mira certant, nec figitur alter
Vulnere, quin subitò alterius det corpore plagam,
Virtutemq; altam, ac animos, stupidusq; supremas
Alter in alterius miratur corpore vires,
Et magis ignescunt ambo, crescuntq; furores
Amborum, quantum ex ipsis magis vnda cruoris
Elicitur

Elicitur ferro. Multo iàm sanguine tincta
Arma rubent, propior madefacta est vndiq; tellus.
Nullaq; prætereà ratio virtutis habetur;
Namq; armis furor ipse viget, tùm prælia casu
Exercent obliti artis, rationis egentes.
Nec quò dextra cadat, quò ve hostis vulnera figat
Attedunt. Fortuna regit, fauet illa, nocetq;:
Sed fauit, Penæa, tibi, tua gloria victi
Hostis erit. terræ Romanus debilis hæret
Vulnere procumbens, & multo sanguine læsus,
Qui languens sic ore refert, humilisq; precatur.
Quis quis es, ò fortis, vicisti, nec mihi vires
Vltrà subueniunt morienti, animusq; recessit,
Vnum oro, nè cæde priùs, ferrumq; remitte
Intereà, si fortè preces tua pectora tangunt
Illius quem prostratum tua dextra subegit,
Quùm Solymæ fueris Penææ dicito vita
Me functum, dùm sospes eram mihi carior illa
Non fuit, huic vni volui succumbere amori,
Illius vt vultum subiecto lumine vidi,
Atq; ipsam quærens fonte hoc ea fata reporto,
Vix notum, aut forsan spretum miserabitur ignem
Illa meum, ò siquidem me terq; quaterq; batum
Si eueniet, lacbrymasq; audito funere sparget,
Quæq, tibi cædo Placido hæc sit cura referri
Arma precor, vix est Castris hoc dignior alter

Postrema hæc animi vix enarrantia curas
Dixit, & illius magnum inspirauit amorem
Pectore Romanus supplex dùm talia poscit,
(Siq; amor haud fuerit pietas fuit) illa repentè
Romano se se facie monstrauit aperta;
Nàm tenebræ cessere, diemq; ferebat Apollo.
Vtq; solet placidè splendescere Cynthia quondam
Quùm nebulæ Cælum inuoluunt, si cædere nubes
Incipiant, sic ore nitet Penæa retecto,
Et graue fert certis morientis vulnera signis,
Et vix continuit lacbrymas; quin mille parabat
Languentem releuare modis, & vulnera vellet,
Quæ priùs illa dedit studio curare salubri,
Et non vulgares carpit de montibus herbas
Docta satis, læsum vt firment, & sanguinis vndā
Diuertant: sed nō prosunt medicamina quidquam;
Nàm magis, atq; magis dimotis viribus æger
Deficit, & tantùm Penææ lumina flectit,
Et dextram dextræ pro voce extendit inermem
Pacis signa ferens, ridentiq; ore cruentus
Sorte sua lætans anima sinè mansit: at illa
Vulnera tùm medicans proprio quæ in corpore habebat
Curare auxilio intendit, tristisq; redibat
Tanti morte viri ad Solymos, vnde ipsa putabat
Mittere, qui herois functi miserabile corpus

Per-

Perducant campo, vt tumuli decoretur honore.
Hinc Italis odia vt sereret, furiale venenum
Per campum Furia effundit, vulgatq; peremptum
Cæstium, & insidijs Placidi occubuisse fatetur,
Causasq; innectit varias, & plurima fingit,
Multisq; enarrans iacit aspera semina pugnæ,
Et magna irarum populis incendia miscet,
Atq; nouas agitans inferno pectore fraudes
Fit Iapix Regi Aeneadum acceptissimus augur,
Oraq; arat rugis, & cingit tempora canis
Crinibus, & duro curuatus stipite inhæret
Tartareos linquens habitus, alasq; nigrantes.
Albinumq; adijt moerentem funere amici,
(Carus erat multis Albino Cæstius annis,)
Atq; etiam bello fidum cognouerat omni,
Illum ideò postquam crudeli morte necatum
Audierat, moerore animi confectus agebat
Ipse suum cor edens intrà tentoria solus,
Quem Furia alloquitur falso sub Iapigis ore
Eccquid agis Albine? tuus remanebit inultus
Cæstius æternùm Placidi quem dextra peremit?
Hoc amor, hoc tua prisca fides poscebat in illum?
Non nè alij ipsius tristantur funere acerbo?
Non nè Titus dolet ipse viri lachrymabile fatum?
Communem multis ergò patiere dolorem?
Hoc pietas, hoc iura iubent? sic vltor amici

Ipse eris? hoc tantùm de te miserabilis vmbra
Sperabat? sic Patroclum fuit vltus Achilles?
Quid de te Aeneadæ? quid tota hæc Castra loquẽtur?
Quiduè autor sceleris Placidus? quãtũ ille superbus
Ridebit non esse truci pro crimine poenas
Qui poscat meritas? & si te cura sodalis
Non mouet extincti, aut pietas, aut ira, fidesq;
Cogere debet honor, cunctis bonor ante ferendus.
Talibus Albino stygias accenderat iras
Moerenti Furia, & tenues volat inde per auras,
Inq; alios alias immittit sedula fraudes. (quit,
Ille autem vltrici hac dextra feret improbus, in-
Supplicium Placidus cari pro funere amici.
Et veluti Tigris, rapuit cui prouidus ante
Venator natos nunc hùc, nunc vadit & illùc
Latronem quærens occidere plena furoris;
Dextram ense armatus furiato pectore cæcus
Sic ruit Albinus, Placidumq; per agmina lustrat
Interfecturus, multi comitantur euntem
E populis etiam, quos ad ciuilia bella
Perduxit Furia, ac odium ad crudele coegit:
At Placidus, Medix, Pinella & stirpe creatus,
Sfortia, & Henricus, nec non Traianus iberus
Inter se longo socium sermone requirunt
Cæstium, & indigno concussi pectora casu
Vnanimes moerent, incertum & cædis iniquæ
Autho-

Authorem incusant, cuperent & sumere poenas.
Venerat hùc atrox Albinus, & ore sonoro
Increpat his Placidum dictis, & prouocat armis.
Magna trophæa tibi siquidem, tibi gloria parta est
Maxima; quādoquidem insidijs, & fraude, dolisq;
Cæstius Aeneadum robur iacet æthere cassus
Vulturibus præda, atq; feris, canibusq; malignis,
Quem, Placide, interfecisti sæuissime nuper:
Sed poenas mihi persolues hac vindice dextra,
Pectoribusq; tuis animam violentus, & ipsum
Cor scelerū sedem eripiā, & tua membra volucres
Aeriæ rodent. Contrà huic responsa referre
Criminis obiecti Placidus sermone parabat
Altisono; Albinus tamen irruit impete vasto
In Placidum stygioq; animo metuendus & ense.
Sic taurus, quem mouit amor, raptæq; iuuencæ
Cura potens taurum inuadit, cui fixit eandem
Corde venus, placitæ dùm hæret per florida rura.
Opponit clypeum Placidus, clypeoq; receptat
Ictus Albini, & rutilo se se ense tuetur.
Arma etiam exercent Placidi tutamine fortes
Sfortia, & Henricus, Medix, Pinellus, Iberus,
Subiectæq; illis acies quoque prælia miscent
Aspera cum turmis, fuerant quæ ad bella secutæ
Albinum, ascendit suprema ad sydera rumor
Bellantum, armorū & strepitus, clangorq; tubarū,
Atq;

Atq; Aquilas Aquilis, & pila minantia pilis
Cernere erat, lethale canit sata nocte profunda
Bellorum signum Furia, & de culmine montis
Conspicui albente, & multa viridantis oliua
Romulidum gaudens circumspicit agmina longè
Se se inter fremere, & magno confusa susurro
Obstrepere, vt quondam horrisonis agitatus ab Austro
Flatibus auditur diffundere murmura pontus.
Atq; vbi cum Placido Albini pugna aspera surgit
Romani iuuenes ex omni parte ruebant,
Ceù si hostes Castra aggressi spatientur in illis.
Albinoq; alij, Placido multiq; fauebant
Vt sua quemq; trahit socia arma mouere voluntas.
Intereà certus Regi narrauerat autor
Exortam castris labem, sæuosq; tumultus:
Ipse autem extemplò se se referebat, vbi illi
Ciuili dextras furibundi sanguine tingunt.
Dum graditur glomeratæ acies, velut agmine facto,
Armatæq; manus procerum post terga sequuntur,
Huicq; nouas iungi semper fas cernere gentes,
Sic Padus excelsò vesuli de vertice surgens
Exiguus primùm viridantia prata perrerat,
Dein magis, atq; magis labendo crescit, & alueò
Non capitur tumidus, tot se illi flumina miscent.

Vt

Vt verò accessit Rex maiestate verendus
Quæ vobis, inquit, quæ tanta licentia ferri?
Quis furor, aut quæ vos insana cupido cruoris
Exagitat? dirum quæ vos portastis in hostem
(Romani) arma sinam Romana in viscera condi?
Non equidem, motos animi componite fluctus
Cæptaq; id iubeo, tandem desistite pugna.
Impunè an tales ausus tentasse putatis?
Hæc vbi dicta dedit celeres præcepta facessunt
Cuncti, sanguineosq; enses, atq; arma reponunt,
Compressæq; silent flammati pectoris iræ,
Laxatæq; odijs dudum reprimuntur habenæ.
Non aliter Boreas vnà, creberq; procellis
Africus, atq; Auster quũ ineunt certamẽ & Eurus
Viribus aduersis, verruntq; imo æquora fundo,
Annosasq; altis vellunt de montibus ornos,
Discutiuntq; domos pastorum, atq; atria Regum,
Aeolus æoliæ si Rex præcepit ab arce
Commotam rabiem, dirum & frænare furorem
Continuò parent, placataq; leniter vnda
Labitur, & rident cælo vndique prata sereno;
Sic Italum princeps postquam sedauerat omnes
Ad sua magnanimus vertit tentoria gressus
Heroùm latè magna comitante caterua:
Sed magno Placidus curarum fluctuat æstu,
Quem sceleris falsò commissi iniuria turbat,

Nec potuisse neci Albinum demittere ferro
Imperio Regis queritur, castrisq; recedens
Traianum alloquitur, secum qui venerat vnà.
Optime Dux, cuius semper me gratia iuuit
Adsis nunc etiam, & dubijs nè desice rebus.
Aequore ceù medio malè tuta furentibus Austris
Per varios casus partes vaga fertur in omnes,
Securoq; nequit nauis consistere portu,
Immemor atq; illi nescit prodesse magister;
Sic mea mens errat vasta sub mole malorum,
Nec quid agã notũ est, tantus dolor imminet in me,
Totq; meo tristes regnant in pectore curæ,
Causa mali tanti falsò mihi crimen ad auctum,
Nec valuisse hominem punire vltricibus armis,
Qui scelus obiecit, dum Rex vetat ipse seuerus.
An proceres inter foedatus crimine tanto
Præterea castris adero? Italiamq; reuisam
Deuicta Solyma? externas discedere ad oras
Expedit, ignotusq; traham quæcunq; supersunt
Tempora moesta meo lachrymis rorantibus æuo.
Bella valete igitur, domitoq; ex hoste trophæa
Acquisita mihi totiès, discedo, measq;
Res tibi commendo (potero si dicere quidquam
Esse meum) gentisq; meæ tibi maxima cura
Sit (Traiane, precor) scis quantum posſit in armis.
Cur tamen Albini potiùs proscindere pectus

Non

Cur tamen Albini potiùs proſcindere pectus
Non propero, vt tollam infamis conuitia linguæ?
Tales dum Placidus furiata mente loquelas
Profert, contrà illi hæc Traianus dicta ferebat.
Deſine tanta queri, atq; animum cōpeſce furentem;
Principiò ſedenim metuenda eſt principis ira,
E caſtris ergò ad naues diſcede parumper,
Aut aliò, quoniam certis autoribus vt te
Audiet ipſe Titus maculatum crimine nullo; (pi
Quãdoquidē occulta haud patitur Deus autor olym
Eſſe diù ſcelera, actutum te ad caſtra vocabit
Inte ea vis animi, tantæq; in corpore vires,
Tot per te ſuperatæ acies, hoſteſq; ſubacti:
Albinus verò ſi non dùm funere ſummo
Extinctus iacet, vt meruit, te nemo reprendet,
Rex vetuit, Regum iuſſis parere neceſſe eſt,
Forſitan infenſis quæ per te vulnera membris
Ille habuit mortem properabunt, Ipſe nigrantem
Puluere conſpexi Albinumq; cruore madentem.
Vade igitur veniet tecum tua viuida virtus,
Ipſa aderit tibi fida comes, fortunaq; ſemper.
Hæc vbi dicta dedit fido diſceſſit amico
Sæpè vale dicens Placidus, Caſtra alter adiuit;
Regi vbi Rampoldus dictis incuſat amaris
Primorum in medio Placidum, iratuſq; profatur.
Cæſtius inſidijs Placidi, Rex optime Regum,

Ad scelus hoc causæ, nulliq; id credere suadet
Nobilitas Placidi, generoso & pectore virtus,
Et totiès spectata fides belloq; domiq;
Vnde ego crediderim stolidissima pectora eorum,
Qui Placidum crudele nefas tentasse putarent.
Sceptra timet Placidus Regum, & sacra iura veretur,
Expers poenarum est, quoniam sinè crimine viuit,
Parcere subiectis, & debellare superbos
Nouit, & insonti non tingere sanguine dextram.
Quòd verò Albinus lethalia vulnera passus
Langueat, emeruit, dignus fuit ille perire
Vltrici telo Placidi, cui nomine falsi
Ausus erat sceleris famam turpare decoram,
Atq; ipsum penitus molimine perdere summo:
Nec latitat Dux ille potens, nec cogitat vllas
Insidias, etiam fraudes qui mente parauit
Nulli vnquam, atq; alij semper prodesse voluntas
Illi firma fuit, testor pia numina Diuum,
Omnia si fateor vobis certo ordine vera,
Nec nego discessit, quoniam conuitia letho
Non tulit Albini, meritas qui expendere poenas
Deberet scelus ob tantum: sed Rector olympi,
Cui mentes hominum, delictaq; cuncta patescunt,
Non sinet impunè Albinum traducere vitam.
Audierat Titus, inde toro sic fatur vtrisq;

Quæ vos, ò proceres, frustrà tàm longa fatigant
Dissidia, accipiant finem, nec pectora tantum
Turbet vestra dolor, sinite vltrà incessere quēquam.
Hoc sceptrum (ostēdit sceptrū quod dextra gerebat)
Formidare decet cunctos mala facta volentes,
Nemo ausit sperare malus, confidere nemo
Siuè Italus, siuè Hispanus, siuè ille Britannus
Siuè sit audaci robustus pectore Gallus.
Vna omnes, semperq; æquali lance rependam,
Non odio, precibusq; vnquam placabilis vlli,
Cæstius iccircò dulci si munere vitæ
Fraude caret Placidi repetam pro turpibus ausis
Poenas, vt clarè incipient occulta patere
Crimina, & effugiat sceleris fabricator iniqui
Extremas licet in terras, latebrasq; per atras
Se se abdat, capietur enim, longissima quando
Brachia sunt Regi, atq; oculi ad secreta tuentes:
At si fortè reus commissi est criminis alter,
Veh tibi, qui tantos mouisti Albine tumultus.
Concilio in medio dùm concio talis habetur
Amnius accessit, Regi haud temnenda profari
Qui se velle refert, tùm coràm dicere iussus
Incipit, & cuncti pendent narrantis ab ore.
Veridicus nostras rumor compleuerat aures
Semotas inter valles sub vertice montis
Armis insignem, & clarum virtutis honore

Deces-

Decessisse virum perfossum pectora ferro
Cæstium, & indigno foedatum sanguine vultus,
Attraxit me verus amor, pietasq; fidelis
Ire, vbi sors illum, casusq; petiuit acerbus,
Vt tanti dilecta Ducis decorare sepulchro
Membra queam merito, mecum venere manipli
Lectorum iuuenum comites ad munera tristes.
Vtq; propinquaram monti nemus inter opacum,
Dux vbi planitie extinctus spectatur in arcta,
Audio flebilibus longè resonare querelis
Illa loca, & gemitu assiduo strepere vndique siluas,
Triste sonant auræ, & motæ super arbore frondes,
Et querulis volucres modulis sub fronde gemiscunt,
Tristiaq; horrendis Echo respondet ab antris,
Et virides moesta colles clamore resultant.
Vndaq; luctisono it vicini murmure fontis,
Atq; aer circum noctis velatus amictu
Nescio quid moestum referens, inuitat euntes
Ad luctus, ac accensi ad suspiria cordis.
Obnitor lachrymare diù: sed deinde per ora
Sponte sua vadit lachrymarum copia maior.
Sic ignis potiore volat face liber in altum
Aera, quem mulier multa vi incluserat ante.
Vnà omnes mecum moerenti pectore lugent,
Nec cessare datum, occultus regit omnia moeror,
Omnia luctus habet (siquidem lacbrymabile visu,

Tunc

Tunc fletus inter tristi sic ore loquebar:
Eccquid tàm longas lacbrymando ducimus horas;
O socij, nec cura subit persoluere amico
Funereum extincto munus? Sola impulit hæc nos
Causa potens ire ad siluas, stabula alta ferarum
E castris longè. Lacbrymis nunc ergò retentis
Quisq; rogi offitio attendat vigilare supremo.
Hæc ego vix potui deflens proferre: sed illi
Luminibus luctu madidis mandata capessunt,
Seq; pio accingunt operi, tùm ligna mistrant,
Costituuntq; pyram, silicisq; excuditur ignis;
Incipit inde magis noua res miranda videri;
Nàm propè defunctum surgit longæua cupressus,
Viminibus cuius stipes, & fronde virenti
Obtegitur nimia, & circum virgulta virescunt,
Hanc ego vi aggredior summa, ærataq; securi
Cædere dùm conor, terras defluxit adimas
Stipite percusso sanguis, tùm fortiùs insto,
Sanguinis atq; iterum manant de cortice guttæ.
Obstupui, gelidusq; tremor per membra cucurrit:
Non desisto tamen, multo & maiore parabam
Impete sanguineos ferro diuellere ramos,
Quùm subitò, horrendum dictu, miserabilis ipso
Arboris è trunco vox hæc defertur ad aures.
Heù quo me miserum crudeli sydere natum
Esse putem? non sat fuerat crudele tulisse

Funus,

Funus, & in siluis lacerum mansisse cadauer?
Vmbra etiam inuideor, siluestri & sede repellor?
Cæstius infelix ego sum, quem sæuus ademit
Munere vitali Placidus, miseroq; fuerunt
Hoc mihi mandatæ à superis in cortice sedes,
Digna luat donec Placidus prò immanibus ausis.
Parce igitur scelerare manus in sanguine iusto,
Amni, siq; tuo pietas in pectore regnat,
Casusq; immeritos fidi miseraris amici, (chro.
Nè remouere hinc corpus, vicino, & conde sepul-
Nec plura. ipsarum stupefactus imagine rerum
Depono ferrum, & supplex sacra numina adoro,
Corpusq; exanimum rapidis committere flammis
Cura fuit, cineresq; breui componere in vrna,
Scribimus & nomen tumulo, patriamq; genusq;.
Læditur bis grauiter dictis Rãpoldus, & inquit,
Si fama, atq; viri affirmant, vmbræq; silentum
Interfectorem, Placidum, quid testibus vltrà
Crimen eget, quin poena ipsum modò debita perdat?
Tùm Regis nutu siluit. Quùm maximus æuo
Qui tria viuendo compleratsæcula Mentor
Vir sapiens, ac in rebus consultor agendis,
Cuius ab ore lepos, & gratia magna fluebat
In medio procerum surgens fuit ista locutus.
Non decet excelsum quidquam decernere Regẽ
In dubijs propè, siquidem rimabitur antè

Omnia

Omnia, nè euentu referat contraria votis,
Vnde necesse foret mentem reuocare priorem,
Quod magno turpe est Regi, penitusq; cauendum.
Ipse ego, qui innumerosq; Duces, Regesq; secutus
Sæpè fui iuuenis diuerso Marte per orbem
Sic illis actum memini, quibus addita laus est:
Ante alios autem Cæsar iustissimus vnus,
Quem primo Roma imperio est dignata supremo
Numquam iuditio, nisi circumspecta volebat
Censeri, atq; aliquem si dignum morte putarat
Ingens ob facinus, morti non ille dabatur
Multorum nisi certa priùs dilapsa dierum
Tempora erant, autor sceleris sic certus obibat.
Optime Rex hominum, quod tu ipse sequaris ad-
hortor
Vt facis, hoc etiam genitor tuus ante solebat
Bella sequens, Romæq; gerit, dum præsidet orbi.
Siq; audire libet, dicam quodcunq; recordor
Euenisse olim Emathijs mirabile in agris.
Pompeium contrà exercet dum prælia Cæsar,
Cuius eram miles non contemnendus in armis
Consilio acceptus, mellitæ & munere linguæ.
Magnorum arguitur violasse sacraria Diuum
Et rapuisse manu sacri decora inclyta Templi
Corradinus eques, siculæ telluris alumnus.
Illum fama canit raptorem, plurima constant
Hunc

Hunc contrà, ac testata fidem simulachra Deorum
Multis apparent noctu, quibus ille cremandus
Iuditio Augusti infelix damnatur in ignem.
Postq; dies aliquot, manibus post terga reuinctis
Arctatur vallo, quem circum ligna satelles
Plurima adaptarat flammis alimenta futuris:
Ille autem tepido manantia lumina fletu
Conuertit Cælo, atq; imo suspiria corde,
Et crebros edens gemitus, & voce querelas,
Tristitias animo multis spectantibus auxit,
Dumq; ignem lethi offitio exercere ministri
Dant operam populis coràm, se protinus illùc
Incertus conduxit Eques fulgentibus armis
Altus equo, & talem rupit de pectore vocem.
Qui casus adigunt istum, aut quæ crimina morti?
Hicq; aliquis causam, & crimen patefecit: at ille
Muneribus quæso bis, loquitur, desistite paulùm
Augusto donec referam, quæ ferre salutem
Huic misero poterunt, cui fata extrema parantur,
Nec vobis oberit, Regi & res ista placebit.
Parent; alta viri mouit præsentia cunctos,
Illeq; ad Augustum properat, quo dicere iussus
Quis sit, quiduè petat, Regi has dedit ore loquelas:
O decus, ò Romanorum memorabile sydus,
Quot fuerint, & quot quot erunt fortissime Cæsar,
Parcere si spondes illi, qui ascendere Templum

Sacra ferens multo est ausus molimine nuper
Nunc tibi se prodet, Templo subtractaq; reddet,
Qui non sponte sua scelus hoc commisit, & auri
Non spes induxit: domini sed iniqua voluntas;
Imperio cuius fuerat parere coactus.
Nec reus, aut socius, penitusq; est criminis expers
Igne mori ardenti quem tu Rex magne iubebas,
Vera quidem fateor, veri vos conscia testor
Numina Cælicolum, nec me dè gente negabo
Pompeii quondam, atq; illius castra secutum,
Quæ nunc effugiens horresco nomina Magni.
Audita rerum Cæsar nouitate stupescit,
Promittensq; illi placidè quodcunq; rogarat,
Pandere præcepit certo dehinc ordine cuncta.
Celsus ad hæc. me Pompeius(nec causa patescit)
Post habitis meritis, infensum tempore longo
Supplicio afficere: & crudeli perdere letho
Affectans, non audebat scelera impius ista
Commisisse palam sontis scelerata tiranni (uabant,
Nomina habere timens, quia me haud delicta gra-
Cogitat inde dolos secum, & me deligit vnum
Frustrà aduersantem medios procedere in hostes.
Tempore nocturno vt raperè sacra munera Diuũ
E Templo, simulans aliter superare phalanges
Non posse hostiles, dominum & se reddere Romæ,
Præmiaq; ampla mihi spondet, sic ipse putabat

Sæuus,


Sæuus me miserum certæ dimittere morti:
Dijs tamen haud visum est, animis qui insontibus adsunt.
Conspectus nulli per muta silentia noctis
Castra inimica adij, Templi vigilesq; fefelli,
Vnde abiens Magno petijt quæcunq; reduxi;
Qui vt me conspexit redeuntem, & sacra ferentem,
Ceù si triste aliquid narrassem nuncius, à me
Auertit sese longè fastidia passus
Vestigare oculis renuens quæ sacra gerebam.
Ipse ego quid facerem incertus mirabar, & illum
Pressum alijs rebar curis; nàm sæpè videmus
Esse Duces varijs curarum fluctibus actos.
Intereà haud dubiè mihi certo authore relatum est
Exitiale malum, dira quod motus Erymni
In me agitet Magnus, primaq; ob origine mens est
Irati manifesta Ducis, fraudesq; doliq;
Et quòd nulla meæ maneat spes certa salutis,
Ni celer aufugiam, atq; fugæ breue tempus adesse
Aduertor: mora nulla, fugæ me accingo, viæq;
Quæ priùs eripui mecum pretiosa reportans:
Nã licet innocuo essem animo; tamen optima res est
Visa mihi haud domino infenso mea iura tueri,
Ad te confugi tandem, te vt numen adoro
Magne pater patriæ supplex, miserere precantis;
Quandoquidem veniam orãti indulgere decorũ est.
Hæc vbi dicta dedit Templo subtracta retexit,

Restituitq; illi. tùm Corradinus ab arctis
Impunè exemptus vinclis, & liber abibat.
Possumus hinc Italum Princeps, Rex magne Quiritum
Noscere quàm rectè in Placidũ lethi edere votum
Distuleris, donec clarè delicta patescant;
Sæpè homines etenim, ac rumor, malè firmaq; fama,
Sæpè etiam umbrarum mentita est tristis imago;
Sed demum exacto monstratur tempore verum
Hæc senior, cunctiq; ipsius dicta probarunt.

Finis Quinti Libri.



Io:



IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER SEXTVS



ARTE alia hæc Romanorum dum parte geruntur
Cosilium Solymi magnis dè rebus habebant,
Atria quos dudùm regalia iusserat vnà
Aduentare, adsint cùm tanta pericula belli
Ioannes sua vota ferant vt tempore tali

Quùm

Quùm subitò Furia penitus stimulatus Aletes
Arte senex magica doctus, qui numina Auerni
Mortales suprà sensus sibi multa coercet
Edere, & offitijs dum vult submittit iniquis,
Se Duce conduxit coràm niger ore; sed albis
Crinibus, & barba pectus superabat anili.
Tùm sic ora aperit, magnus quæ Pluto tremiscit.
Dux ingens, si Romanos tibi perdere ferro
Vrbem infestantes animo sententia perstat,
Viribus, atq; tuis opibus coniungere miris
Consilium nè temne meum, si vera monebo,
Siq; armis nequeo; magicis prodesse susurris
Non dubito vt vincas, atq; ars mea fortè iuuabit.
Quantumuis Titan fuscis oriatur ab indis,
Et properet curru fluctus pertingere Iberos,
Perq; vices varias rursum, rursusq; videndus
Occidat hesperijs, surgatq; videndus eois,
Nunquam Italum tu victor eris, nisi machina belli
Corruat ipsorum, & turres ardentibus altas
Comburas flammis, ausi bis solidissima tentant
Moenia destrubere, & summa dominarier arce
Vt tamen hæc Italis succedant damna proteruis
Incipiam arte mea, vt primùm nox vexerit astra;
Post verò fumum, & flammas malè semper aletes
Ex Acheronte traham, nigrisq; paludibus Orci,
Quarum Romani nequeant tolerare calores,

Armati

Armati bis turres, ac instrumenta Quiritum
Accedant Solymi, quos ire per arma, per hostes
Cura mihi impunè, & nebulis iacere vndiq; ductis.
Nulli conspectos infernæ semina pestis
Quid tunc Aeneadæ? quæ menti audacia surget?
Qua se defendent? Isthic nostra arma videbunt
Obstare, atq; illìc se se contendere letho.
Dixerat, & cunctis placuit sententia Aletis
Ioanni antè alios, qui illi hæc responsa ferebat.
Arte tua quodcunq; potes persoluere Aletes
Experiare celer; fieri namq; ipse iubebo
Cætera, vt Aeneadæ nostris superentur ab armis.
Vos, Solymi, Oceani properat dum Phæbus in vn-
Descēdūtq; altis nigræ de montibus vmbræ (das,
Ite, ac officijs attendite quisq; vicissim
Impositis. Omnes concessa licentia tandem
Vt fuit, excedunt turmæ, dein æthere aperto
Per loca mille dapes statuunt, & dona Lyæi
Percipiunt, donec vino saturata quiescant
Corpora per terras, & mens oblita laborum.
Nec desunt vigiles excelsæ turribus vrbis.
Dumq; boues pigros Phæbe; noxq; atra nigrātes
Sollicitat summum bigas percurrere Cælum
Conticuere homines, reticent volucresq; feræq;
Serpentesq; armenta, greges sopor altus habebat,
Nec frondes agitant, nec vertunt æquora venti:
Tùm

Tùm magus è Solyma per amica ſilentia lunæ
Exierat, celeriq; gradu nemus inter opacum
Venerat ignotum pecori, timidiſq; colonis,
Nec mora ſecreto primùm ſubmurmurat ore
Niſus humi vultus, fixo tùm lumine eoas
Tèr partes, totidemq; heſperias proſpectat Aletes,
Tèr pede nudus humum læuo concuſſit, & altum
Ferratam tendens virgam ſuper aera fatur.
Omnipotens Hecate, ſata numina nocte ſilenti,
Fallaces tenebræ, miſeris mortalibus Aſtra
Infeſta, offitijs multùm nox apta malignis,
Et quæcunq; mihi ſemper fauiſtis adeſte,
Et vos inferni ciues, qui ſontibus vmbris
Aeternos ignes, æternos ſoluitis imbres,
Et vos, qui cælo expulſi inferiora tenetis
Aerijs loca nota plagis, vndè æquora ventis
Crebrò miſcetis, tempeſtateſq; per imam
Aduehitis terram, quæ implent formidine gentes,
Tuq; Erebi princeps, nigri dominator Auerni,
Numina cui parent ſolo cocythia nutu
Audite, & de more meis attendite votis,
Si per vos potui ingentes euellere ſiluas,
Atq; mouere graues montes, & ducere lunam
Quùm volui è Cælo, & cineres animare ſepultos,
Veſtra ope Romanis liceat modò obeſſe cateruis,
Quæ infeſtant Solymā, ſtygiumq; reducere ab Orco
Exitium

Exitium miseris (mea quod mens augurat ipsis)
Eia agite quid statis adhuc? concedite nunc nunc
Quod peto, quod cupio, scitis vos, atq; potestis
Optatis prodesse meis: sed numina numquam
Frustrà orata adsunt; cognosco signa, relucent (lus;
Sydera plus solito; hinc atq; hinc tremit undiq; tel-
Haud dubius nosco currus ex æthere missos.
Hæc ait, & currus senior conscendit Aletes,
Lora regit manibus residens, geminosq; dracones
Alipedes siccis perflantes naribus ignem
Corrigit, & placido mulcebat rectiùs ore.
Non ità per summum celeres volitare volucres
Aaera conspicimus: nec tàm velociter æquor
Transcurrunt agiles commoto turbine venti,
Vt properè stygius findebat nubila currus.
Quem dum prospiciunt nimia leuitate volantem
Phæbe noctiuaga, & supremi sydera Coeli
Horrescunt stupefacta, simul nox ipsa tremiscit
Tàm celeres axes, insuetaq; plaustra, rotasq;.
Iamq; senex longè Iopem post terga reliquit,
Hinc veneri gratas Cypri defertur ad oras,
Velox inde Rhodos clarissima moenia transit,
Centum post vrbes, Cretæq; vberrima Regna,
Deseriturq; etiam longè Nemorosa Zacinthos,
Epirusq; olim Pyrro regnata tiranno,
Hinc scopulos Leucæ, pretiosaq; Iapygis arua

Præteriens senior Tyrrbeni allabitur vndis,
Latratusq; audit sæuos, & triste Charibdis
Murmur, & implentem vastis rumoribus æquor
Scyllam Fumantis culmen tùm peruolat Aetnæ
Ocyor igne Iouis, terramq; petentibus Astris.
Mons est Aetna iugis siculæ telluris in altis
Asper, & æternùm accenso memorabilis igne,
Intus mille latent antra, horrentesq; cauernæ
Vndique septæ igni, crepitantibus vndique flāmis.
Hinc facile, vt perbibent, itur per tartara Regna,
Per pice torrentes fluuios, inamænaq; semper
Hospitia, à monstris, Furiisq; habitata malignis.
Vt magus accessit monti, mirabile dictu,
Sponte aperit se mons, lataq; voragine Aletes
Prosiliens loca nigra petit, Regna horrida Ditis.
Iamq; altos montes, & syluas inter opacas
Effugiens Placidus Romani principis iram
Venerat, Hospitio Sacri Symeonis inhærens,
Cui varios rerum euentus narrauerat, & quæ
Causa fugæ fuerit. Sortem miseratus acerbam
Dein illi hæc Symeon referebat numine plenus.
Heros magnanime, heroum sate sanguine claro
Iam pridem summo virtus tua nota Tonanti,
Atq; accepta fuit, qui te non deseret vnquam
Multa licèt patiare, immo igne probatur vt aurū
Sic magis, atq; magis fulget tua viuida virtus

Per

Per varios casus, per multa pericula rerum,
Carior & semper Regi Diuumq; virumq;
Viues. dura igitur; nàm cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat patientia nobis.
Sed quid? præuideo iuuenili in pectore robur,
Fortia facta animi agnosco properantibus annis;
Quandoquidem Christi quondam præcepta secutus
Omnia contemnes tormenta, dolosq; nefandi
Regis, & Eustachij venerabile nomen adeptus
Funera summa feres Christi succensus amore,
Tùm celsi ascendes aulam stellantis olympi,
Templaq; Roma tibi, meritas sacrabit & aras,
Et tua perpetuis memorabit nomina festis,
Quin titulos etiam, ac altos super addet honores
Nominis illa tui sacris hæroibus olim,
Queis poterunt Reges, Regumq; æquare triumphos,
Purpureiq; licèt, sacratiq; ordinis ætas
Postera spectabit titulis, & honoribus auctos
Talibus innumeros, Odoardo sæcla videbunt
Vix ventura parem ingenio, studijsq; nitentem
Supremis, & præclaræ virtutis amicum,
Sydere felici hunc Italis producet in oris
Pontificum domus, & spes Farnesia Romæ.
Hinc quoquè præuideo magnum, & memorabile Templum
Sanctumq, & penitus vastis sublime columnis,

Quod picentinos inter ſuper ardua montis
Culmina conſtituet ſacrum tibi diuite cultu
Vir de gente tua pius, & ditiſſimus auri,
Semper vbi nomenq; tuum, laudeſq; quotannis,
Et meritus celebretur honos altaria circùm.
Quis tamen enumerare queat proceresq; Duceſq;
Quos belli claros, inſignes tempore pacis
Regibus acceptos ſummis, magnoq; fideles
Cælicolum Patri Romana per oppida primùm:
At mox per latias vrbeis, ſiculaſq; per oras
Stirps tua perpetuò luſtris voluentibus edet?
Tu priùs & victos Solymos, ſuperataq; cernes
Moenia Dauidis Romano ſubdita Regi
Auxilio (Dux magne) tuo; quia Caſtra tuorum
Romulidum repetes Regi gratiſſimus vnus;
Criminis ille etenim expertem te noſcet iniqui,
Quod falsò Albinus contrà te obiecerat antè,
Qui functus vita nunc eſt nigri incola Auerni.
Inſolito tunc ſenſit agi ſua pectora motu
His Placidus dictis, placido eſt hinc ore locutus.
Quid quid erit de me Cælo ſit cura ſupremo
Hoſpes amice Deo. veræ virtutis honorem
Complexus vixi, atq; animo ſic ducere vitam
Præterea fixum eſt, vitali dùm fruar aura;
Sed ſtupeo quæ tu memoras, ſuper omnia fato
Albini meritis commiſſa piacula poenis
Quem damnant, habitatq; feri penetralia Ditis.

Sed tibi quis mortem Albini patefecerit authot
Dic (si scire licet) Symeon gratissime Diuis.
Subridens ille, haud hominũ mihi talia quisquã
Ostendit: sed qui Cælo digressus ab alto
Nuncius Aetherei Regis verissimus idem
Sæpiùs hoc mecum dignatur monte profari:
Gratia tanta Dei est, sic quos amat æquus honorat.
Certiùs Albini vt noris tamen vltima fata;
Nãq; cupis, (video) flammisq; ardentibus vmbrã
Moerentem, nemora hæc inter te tramite ducam
Secreto horrendum multa caligine ad antrum,
Vnde Erebi spectare licet loca foeta caminis,
Flammarumq; globos, atq; vmbras igne querentes,
Cæstius vnde etiam authorem tibi funeris edet.
Annuit his Placidus. tum per stabula alta ferarum
Ibant per lucos, & prata horrenda latebris.
Aduenere locos tandem super ardua montis
Hic Cælo inuisum rupta tellure recludit
Se specus emittens lato stygium ore vaporem.
Occurunt subitò innumeri aduentantibus illis
Ardentes oculis, & sibila colla tumentes
Angues lethiferi, ac rugientes ore leones,
Tollentesq; minas latè, & capita alta ferentes,
Informesq; Vrsi, & Tigres, lyncesq; minaces.
Fulmineum extemplò vagina diripit ensem,
Aggrediturq; acer Placidus venientia Monstra,

Tunc

Tunc Placido tales Symeon dabat ore loquelas.
Desine, non etenim hæc cædunt animalia ferro,
Nec vires hominũ hæc possunt superare potentum:
Vis cæli obsistit, sacrati occultaq; ligni
Vis ingens, vis inuicta, & mirabilis illis:
Inde salutiferæ lignum Crucis extulit aureum
(Continuò hoc Symeon secum de more gerebat,)
Quo viso fugere feræ terroribus actæ,
Et nemora, & repetunt plantis pernicibus Orcum.
Tuti antro accedũt Symeon, Placidusq; cauernis,
Ollis, horrendum visu, spatia ampla patescunt
Vndique flammarum, prima ceù nocte videmus
Si quando agricolæ segetes quùm falce secarint
Aestate imponant stipulis arentibus ignem
Serpere per prata, & flammas emittere in altum.
Vmbrarumq; patent medijs gemere agmina flãmis.
Sydera stellifero si quis numerabit olympo,
Aequore si fluctus, flauas si littore arenas,
Ignibus hic tristes animas numerabit Auerni.
Obstupuit tali aspectu, ac immobilis hæsit
Romanus paulùm Placidus, dein rettulit ore.
Dic Symeon, dic, namq; tibi nota omnia credo,
Annè erit vlla dies, animæ qua ardoribus istis
Exemptæ optatas veniant in luminis auras,
Aut loca læta petant, tantaq; carentia nocte?
Forte gemens illi Symeon responsa ferebat.

Finis

Finis erit terræ, atq; mari voluentibus annis,
Desinet esse etiam pulcherrima machina mundi:
Sed non finis erit tantis cruciatibus vnquam;
Finis nullus erit flammis, & nullus Auerno,
Et quæ Cocythi venere ad tristitia Regna
Criminibus fœdæ vastis, & turpibus ausis.
Non iterum poterunt vmbræ ad meliora reuerti.
Ardebunt hic perpetuò, semperq; dolebunt;
Aeternum offendere Deum, cui tempora cædunt,
Aeternos meritò patiuntur in igne dolores;
Quin etiam his vmbris iungentur corpora quondam
Cuiq; sua, & flammas mixtæ cum corpore in vnũ.
Tempus in omne ferent vnà, lethoq; carebunt.
Infelix mortale genus, tàm magna parata est
Poena, & submittis tàm sæuis pectora curis?
Non ardore pari tamen hic Cocythius ignis
Infestat sontes; nàm qui dum vita manebat
Infecti vitio penitus maiore fuerunt
Vruntur magis, & factis male digna rependunt.
Est etiam hic locus ille (locumq; ostendit) iisdem
Horrendus latebris, flammisq; vberrimus atris,
Sed non sorte vna hoc animæ patiuntur in igne,
Tempus erit, quo tecta petant excelsa Tonantis
Postquam certa dies labes exemerit omnes,
Supplicioq; graui purgarit crimine mentes.
Lethali intereà confossum vulnere nouit

Horrentes

Horrentes inter flammas, umbrasq; silentes
Albinum Placidus, quem compellare parabat
Vocibus; Albinus verò vestigia torsit,
Euolat indè aliò tacitus, Placidumq; reliquit:
Sponte autem accessit miserabilis ore cruento
Cæstius, ac medio sic voce locutus ab igne est:
Quæ te causa potens mouit, Placide, ista subire
Antra horrenda situ, ac æternæ proxima nocti?
Tunc umbræ latius responsa hæc rettulit hæros.
Cæsti bellipotens olim, tua funera cogunt
Viuere me longè è castris, & inhospita viuis
Inter adire loca horrendis tantùm agnita monstris;
Nàm sunt, qui Regi Aeneadum me crimine magno
Incusant, mortisq; tuæ falsò arguor autor.
O scelus indignum, est faciles qui præbeat aures
Me tali credens victum succumbere culpæ. (oras
Tu modò (amice, precor) quandò has peruenimus
Quis nàm ostende tuo macularit sanguine dextram?
Nam iuro lumen Cæli, & sacra numina testor,
Quod meritas sumam scelerato è pectore poenas,
Siuè Italus, siuè Hæbreus, siuè esset ab indis,
Quo sit cumq; loco, extremi confinia quamuis
Isset ad Oceani, bis superatus corruet armis
Exanimis, rabidiq; canes sua viscera pascent. (est
Hæc Placidus, cunctata diù dein umbra locuta
Dicere nolenti similis. me foemina letho

Ignotum

Ignotum Penæa dedit fortisſima, Amoris
Languentem telis, tu irati pectoris æſtus
Comprime, Peneam contrà & depone furorem.
Per te, perq; tuos oro, & per quid quid honeſtũ eſt,
Illa tibi noſtra arma feret. meliora ſecutus
Fata meis clarum tu profer ad æthera nomen.
Nec plura, auertit faciem, longèq; receſſit.
Tunc Symeon (Romane) inquit, nunc omnia noſti,
Quæ optabas, tempus poſcit diſcedere ab antro.
Dixerat, ac humiles ibant Symeonis ad ædes
Multa inter ſe ſe longo ſermone loquentes.
Intereà Ducibus coràm ſic voce ſonora
Romanus loquitur Princeps venerabilis ore.
Ad pugnam vocat eccè dies, & poſtulat arma
Inuicti bello proceres: ſed mœnia primùm
Expugnanda reor tormentis vndique motis,
Tùm faciles aditus vrbi benè mille patebunt,
Accelerate ergo, iam noſtra capesſite iuſſa
O iuuenes, tentate ignes, euertite muros.
Extemplò expediunt quidquid Rex iuſſit ouantes
Acres bello Itali, ac ignes, & misſile ferrum
Exportantq; grauis liuentia pondera plumbi,
Balliſtas etiam genus inſuperabile bello
Maiores vrbi iactantes vndique ſaxa,
Ligneus atq; aries ferrata fronte tremendus,
Plurimus adfertur muris, ac plurima turris.

Continuò horrendos sonitus dant viribus actis
Quales non unquam vastis concussa procellis
Aequora fecerunt imis euersa cauernis,
Nec Scylla immanis, nec monstrum immane Charibdis,
Nec dira Enceladus rabie, Polyphœmus & atrox:
Sed quid parua loquor? tonitrus ex æthere missi
Quùm Iouis est irata manus, vix murmere tanto
Omninò trepidas implent mortalibus aures.
Aer intonuit circùm, nemorosaq; tellus,
Et montes tremuere graues, siluæq, profundæ,
Immissis pariter crebrò micat ignibus Aether,
Non fortassè aliter Cœlo descendere summo
Spissa videbantur splendentia fulgura quondam
Finibus æ mathijs quùm tot strauere gigantes.
Tum crescit fumus, tùm copia pulueris atri
Exuperat, densæq; creantur in aere nubes,
Et quàm crebrescunt ictus, tàm puluis adauctus
Inductas auget nebulas, nebulæq; tenebras
Constituunt, rapiturq; nigra caligine cœlum.
Nec lux spectatur, non autor lucis Apollo,
Et vix nocte diem fas est discernere ab atra,
Tàm puluis, nubes, atræ & creuere tenebræ.
Tunc iterum redijsse chaos, mundumq; putares
Subuerti, aut iterum currus occumbere Solis,
Terramq; arsuram misero Phætonte ministro.

Perculsi

Perculsi stupuere animis qui moenia seruant,
Et se securis vestigant abdere fossis,
Nec fidunt exire domos, tàm multa per vrbem
Vndique saxa cadunt, si fas est dicere, non tàm
Nix spissa in Scythiæ descendit montibus altis
Quùm fera sæuit hyems, placidi nec tempore veris
Grando cadit tã crebra solo, aut densissimus imber.
Hinc questus, atq; hinc gemitus, lacbrymasq; caden tum
Est audire datum, miserè quos saxea texit
Ista seges, stat perq; vias lacbymabile vulgus;
Brachia namq; alij, confractaq; membra dolebant,
Crura, pedesq; alij, sunt qui omni corpore languent,
Et qui perpetua conduntur lumina nocte.
Inde exauditur strepitus, rumorq; ruentum
Tectorum, nam tecta ruunt, quassataq; tẽpla.
Atq, ingens veluti si mons, aut ardua rupes,
Oceani quæ pendet aquis, atq; imminet vndis
Siue vetustate, aut cælesti fulmine tacta
Pondere præcipitatur aquis, variasq; dehiscens
In partes dat terrificum, resonumq; fragorem,
Ingentesq; trahit secum dilapsa ruinas;
Moenia sic summum, pariter disiecta per imum
Vi tormentorum, (siquidem mirabile visu,)
Procumbunt magno strepitu, rumoreq; summo:
Hos inter belli motus tàm magna stupebat

Ioannes damna, ac irarum flumine vasto
Vertitur infelix, cui mens infirma vagatur
Nunc hùc, nunc illùc odijs stimulata malignis:
Sic iuncos partem densos deflectit in omnem
Vnà Auster, Boreasq; furens in valle palustri.
Cui Magus accedens has fundit pectore voces.
Optime Dux, vigiles animo depelle dolores;
Nàm dubij donec perdurant tempora belli
Vtraq; pars patitur clades, pars vtraq; pugnat,
Quælibet & sua iura aduerso Marte tuetur
Hinc quodcunq; mali nō tristi est mente ferendum;
Sæpè etenim casus reparat fortuna priores,
Ad summam spectare decet certaminis horam,
Quam tibi felicem, Aeneadis tristemq; futuram
Vaticinor (verum faciunt si sydera vatem)
Atq; ipse arte mea potui quodcunq; peregi,
Promissiq; memor soluam quodcunq; licebit.
Elige nunc igitur, qui mecum hostilia fortes
Castra igne, & ferro inuadant, stygioq; vapore.
Turribus heù quale exitium, Aeneadumq; cateruis
Heù quales cædes, quæ funera summa feremus.
Hæc vbi dicta dedit, grata hunc Dux fronte re-
Militibusq; suis aggressum indicit in hostes (cepit,
Teptæoq; Duci curam, & concessit Anano
Millibus è multis lectas regere agmine turmas.
Et iàm Romanas Solymam petijsse Cohortes

Excel-

Excelsæq; vrbi superesse pericula norat
Inter idumeos Cedron pulcherrimus amnis.
Deseruit subitò latebras, imasq; cauernas
Et superit toto labentes corpore fluctus.
Huic eboris facie, argentiq; simillimus extat
Nempe color, mentum & nulla lanugine vestit,
Coeruleos oculos versat, viridesq; capilli
Aduelant niueum collum mira arte soluti,
Et pulchrum glauco circundat corpus amictu.
Hic postquam superas stupidus deuenit in auras,
Atq; metu gelido concussus pectora fatur.
Ecce dies infaustus adest, en flebile tempus,
Quod fore prædixit Protheus mihi tempore longo
Protheus augurio præstans, atq; optimus idem
Noscere ventura, Astrorum & prædicere cursus.
Quæ Cælo non vota dedi, quos thuris honores
Præterij, nè vnquam succederet ominis hora
Infandi, tantumq; scelus nè visere cogar?
Sed quid? summa dies, venitq; suprema meorum
Perpicies dubitata satis. nunc funera summa
Et cineres Solymæ, vastataq; moenia cernam.
Me miserum nosco turmas, inimicaq; tela,
Audio clamores, & verba minantia cædes.
Cùm tot sint populi, cùm tot sint multa per orbem
Oppida, totq; vrbes meritæ, tot maxima Regna
Excidium cur triste ferant hæc moenia solùm?

Quis

Quis Deus hoc audet? sceleris cui tanta cupido?
Heù superi visus igitur seruabar ad istos?
Ast ego cur tanta me vinci mole dolorum
Permittam, & potiùs non debita damna referri
Hostibus attendam? ferri mihi nulla potestas,
Nec vires summi Rector concessit olympi
Hostibus vt possim à tantis defendere muros.
Quod licet id faciam, propriasq; relinquere sedes
Non dubito, & pelagi fluctus innare profundi.
Aequoream Regem, tempestatumq; potentem
Neptunum adueniam, auxiliumq; supplexq; rogabo,
Ille meos forsan casus miserabitur vltrò.

Hæc ait, atq; cauum sub terra fertur in antrum
Fluminibus loca nota petens, nàm flumina latè
Sub terra labi, atq; hinc dicuntur apertos
In fluuios fluere, & fontes, in stagna, lacusq;
Per colles, & per montes, vallesq; patentes.
Occultum hàc festinat iter. tùm præpete saltu
In mare prosiluit Syrium de littore Cedron
Pectus ad vsq; mari tegitur, caput erigit vndis,
Et manibus crebro fluctus diuerberat ictu.

Non adeò velox arcu dimissa sagitta,
Nec memor ad carum sic euolat aera hirundo
Purpurei postquam redierunt tempora veris
Vt pelago innabat Cedron. dein transit in Aequor
Pamphilium, primo assuetum submergere in vndis

Tem-

Tempestate potens nautas, mercesq; ratesq;:
Ast Helena vt clauum rubicundū sanguine Christi
Vndis proiecit fidens mitescere cœpit.
Tùm mare Carpathium velox post terga reliquit,
Aegæumq; adijt magnum, cui nomina fecit
(Vt fama est) Thesei genitor fata vltima passus.
Præterit Ionios tandem, fluctusq; secabat
Adriacos, quem prospectum mirantur in vndis
Numina magna maris Nereus, viridisq; Palæmō,
Et Glaucus; cunctis etenim velocior ibat:
Obtulit huic omnis se, quisq; huic munera nutat,
Chrysolitos alij referunt, grandesq; smaragdos:
At cæptam tenet ille viam vix pauca locutus,
Donaq; non curat, nec oblatas sumere gemmas.
Nec mora longa fuit, Neptuni venit in ædes
Adriaco in medio positas sub gurgite vasto.
Excelsos iuxta scopulos placidasq; latebras.
Mille domos Neptunus habet dominator aquarum
Aequore in immenso: multis sed mensibus anni
Hanc habitat sedem, (adriacas tàm diligit oras;)
Vrbem vbi præscierat fatis vrgentibus olim
Affore Neptuno gratam, magnoq; Tonanti,
Reginam Italiæ dominam maris, & decus orbis.
Atria regali ingreditur fulgentia luxu
Auratis Cedron, niueisq; decora lapilliss

Cærula

Cærula turba intus Regi famulantur ouautes ,
Quos tuba Tritonis rauco ciet vndique cantu ,
Nereidesq; Deæ passis de more capillis
Atria confusæ circùm longo ordine saltant ,
Candida Niseæ, Drymo, Xantoq; Thetisq;
Cymodoce, atq; Ephyre, & Clio, Beroeq; sorores ,
Flauaq; Laodoce, Panapæaq; virgo, Lygæa ,
Phyllodoceq; Peloris, Opis, crinitaq; fronte
Atte, & Cydippe ore, albis Aretusa Lacertis
Rex tamen ipse maris Solio super eminet alto
Insignis vultu, dextramq; triscupide telo
Armatus, qua vndas agitat, mulcetq; procellas,
Cui genibus Cedron presfis hæc dicta ferebat .
Vndarum Rector, summi Iouis inclyte frater ,
Cui non displicuit prodesse rogantibus vnquam
Ad te iam dudum tua me clementia traxit ,
Et sperare inte iussit quodcunq; volebam,
Tu mihi namq; potes misero succurre precanti,
Cedron ego Syrios inter non vltimus amnis ,
Per Solymæ Campos licuit cui sorte vagari ,
Et quamuis alma Tybris transcurrere Roma
Posfit, & hetruscas Arnus circumdare valles,
Et licèt auriferas vndas Tagus edat iberus ,
Indus & auratas euoluat Idasfes arenas :
Vsq; tamen duxi felicia tempora lætus
Sorte mea, & potui pretiosos temnere fluctus,

In

In me tantus honor Solymæ, tàm magna voluntas?
In me tantus amor, semperq; ea gratia creuit:
Sed nunc infelix agitor, dolor occupat artus;
Eccè etenim Solymæ cinxerunt moenia sæui
Romulidæ, vrbemq; parant subuertere telis.
Moenia me miserum disiecta impunè videbo?
Immeritòq; meæ concrescent sanguine limphæ?
Hostes conspiciam letho insultare meorum?
Nè tantam permitte precor me ferre ruinam.
Duc hyemem ponto, ad cælum da tollere fluctus,
Et quæ nunc portum hostiles tenuere Carinas
Obruat ira maris, scopulis & frangat acutis.
Immersas forsan puppes dùm viderit hostis,
Consilio belli, cæptisq; absistet iniquis;
Et si tantus amor, si tàm temerarius ardor
Hunc agitat pugnæ, vincendi & tanta cupido est.
Eccquid aget? sinè classe freto non ire valebit
Ad patrias sedes, septusq; hostilibus armis
Lugebit victus, victori & reddet honores.
Hæc Cedron lachrymis orabat prorsus obortis:
Plura sed oranti singultus verba repressit.
Ad quē Neptunus loquitur tot cōprime luctus
Id quodcunq; mihi est, quidquid mea dextera possit
Pro te polliceor, fraternas iuro paludes,
Experiare licet; pro te quemcunq; laborem
Dulce subire mihi est. doleo non posse quod optas;

T Fata

Fata obſtant, & vota Deum, quæ perdere claſſem
Inuiſam prohibent, & quis ſe opponere contrà
Audeat, & Cæli irreuocabile flectere numen?
Scis, Cedron, nec te ſed enim ignorare putandum eſt
Quàm nimiùm ſit grata Ioui Romana propago,
Quæ genus antiqua deducit origine Teucrum,
Cui latè imperij quondam promiſit habenas
Orbis terrarum, dùm illum Cytherea rogaret.
Hinc ideò Romanorum res creſcere ſemper
Vidimus, atq; illis gentes parere ſuperbas
Solis in occaſum, Phœbi ſurgentis ab ortu
Eq; Auſtro ad fines Boreæ. non barbara ritu
Quouis orbe foret Romanis obſuit vnquam,
Quæq; armis voluit Regio contendere victa eſt.
Quid mirum Romana pati quia iura repugnant
Si Æneadum Solymi patientur funera telis?
Et Solymæ excidium, ſupremaq; fata videbis?
Quot ſcuta, atq; enſes, quot corpora cæſa virorum,
Fluctibus euolues multo cum ſanguine mixtis?
Tot Cædes nunquam ſpectaſti tempore priſco,
Sit varijs quamuis Solyma vrbs ſuperata tirannis,
Nec quùm Rex Solymos ſtrauit Babilonius armis
Vndè feræ, & volucres multos fugere per annos:
Romulidis at victa licèt nunc alta iacebit
Vrbs Solyma, adueniet luſtris labentibus ætas,

Quæ

Qua sedes iterum instructam conducat in vrbem
Gens Hæbrea: sed Aeneadis obsistere rursus
Incipiet, rursum & ferro procumbet, & igni,
Construet inde nouam, atq; suo de nomine dicet
Aelius Italidum princeps, post aurea cernes
Sæcula, & excelsum confisa relinquere cælum
Pacatas Astræa colet sinè crimine terras,
O felix Cedron, tunc fas euoluere fluctus
Auratos, Solymam aspicies quia tempore longo
Posthabitis alijs dilectam Regibus æquis:
Sed quoque præuideo Solymæ noua surgere bella,
Indè alios belli motus, aliosq; furores.
Nec fuit, & nec erit terrarum vrbs altera in orbe
Quæ tot bella ferat, tot cædes, totq; ruinas,
Tu perfer quæ nunc instant fera prælia Cedron.
Alta Dei mens est. magnas procumbere Thebas
Prospexit fons Dircæus, considere in ignes
Structa meis manibus supremæ moenia Troiæ
Spectauit Simois, lacbrymis & creuit vterq;
Neutraq; deiectum cælo caput exulit vltrà:
Sed licèt vrbs Solymæ innumeras sit passa ruinas,
Maioresq; feret clades, & funera posthàc,
Vnica ceù Phænix tamen instaurata resurget
Sæpiùs, ac etiam æternum durabit in æuum,
Quo te solari poteris modò rebus egenis.

Hic finem dictis fecit Saturnius Hæros:
Tristior ast Cedron proprium remeabat ad alueum
Fatalis belli, sortisq; instructus iniquæ,
Et ventura parùm laudataq; tempora curat.


Finis Sexti Libri.




Io:



IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER SEPTIMVS



IAM q; rosis ornata sinus, ornata Hyancinthis
Finibus eois surgens Aurora rubebat.
Insomnes tùm gemmatis præsepibus Horæ
Sollicitant Phætontis equos educere currus
Igniferos, claramq; orbi diffundere lucem.
Eccè propinquarat castris Hæbrea iuuentus
Teptæumq; Ducem, & fortem sectatur Ananum,

Nèu

Neù contrà ausonio Solymi lædantur ab hoste
Obscuris senior nebulis obduxit Aletes,
Noctifero pariter fumo, stygioq; vapore,
Discerni vt nequeant, nec visi cuncta viderent.
Tùm Dux Teptæus tales dabat ore loquelas.
Eccquis erit mecum, qui dura pericula mortis
Contemnat, Iuuenes, iaciat & turribus ignem,
Moenia quæ infestant vrbis, quæq; arcibus obstant?
Hæc ait, atq; globos in turrim proicit altam
Flammarum, inferno graueolenti sulfure mixtos,
Id facit AldiaZel, facit & crudelis Ananus.
Stupea flamma hæret tabulis, serpitq; trabales
Compages, & paulatim spirantibus Austris
Fit maior crepitans, pariè & discurrit in omnem.
It cælo latè fumus, nigræq; fauillæ,
Omnia tùm demum superat vulcanus, vbiq;
Flammarum cumuli spectantur in aere summo
Terrifico strepitu passim, ingentiq; ruina.
Arte laborata in cineres it plurima turris,
Eccquid enim flammis, stygioq; resisteret igne?
Multi etiam ex Italis crudeli morte peribant
Turribus astantes, flammisq; cremantur ab ipsis.
Nec minus arte magus stygia diffundit odores
Pestiferos Castris, vmbræq; simillibus ibat,
Quas impune pati haud poterat Romana iuuentus:
Ipsi autem Solymi audaces per castra ruebant,

Quisq;

Quisq; viam ferro inuenit, nec parcitur vlli.
Falcibus vt tortis graciles resecantur aristæ,
Corpora sic Italum morti numerosa dabantur:
Sed tamen antè alios Tepthæus agmine ab omni
Romanos cædit multos. tùm nocte perenni
Obruta præsenti conduntur lumina somno
Anselmi, cui magni instar sunt membra gigantis,
Iasius indè acer, Celsus, fortisq; Panæbus
Cæditur, hic animam cerebro diffundit aperto;
Pectore at ille; ferox offenso Iasius ore.
Sternitur Hyppomedō, Nomius, iuuenisq; Crenæus;
Hūc Fabius, Laurens illū, Hyppomedōta Magas-
Et tantos inter Tydæus cadit, Antiphus, Arsē (sus.
Inde Gian, perimuntq; Lyam, paruūq; Phoroneū,
E vulgo innumeros etiam, & sinè nomine cædunt
Dumq; animas rapiunt spolijs onerantur opimis
Tepthei audaces Comites, Solymæq; phalanges.
Vndique sic ferro multi, (miserabile visu,)
Igne alij, ac saxis ignota morte cadebant.
Talibus attoniti pauitanti pectore pugnæ
Penè Itali cædunt; sed enim non vnde mouentur
Tela vident, toto qnoniam super æthere nox est,
Nec possunt impunè pati cocythia damna,
Hinc talis feruor, talis se se halitus effert:
Intrepidus verò Cæsar venit obuius, illis
Voce alta exclamans cur ò cur cæditis, inquit?

Mittite

Mittite corde metum, Solymorum pellite fraudes,
Qui circum septi nigra caligine pugnant,
Ferte citi ferrum, atq; ignes, me quisq; sequatur.
Dixit, & intorsit iaculum, quod fortè gerebat,
Euolat in tenebras illud, & percutit umbras.
Aemula tum pubes mota est, & mille sagittæ,
Saxaq; mille volant validis proiecta lacertis:
Omnia sed sorbent densæ tentata tenebræ,
Frustranturq; ictus omnes, nec hostibus obstant
Haud visis. Sic interdum si lumina desunt
Nocturno credens volucres sub tempore pastor
Cædere stipitibus, prima quas nocte notarat
Percutit arboreas frondes, volucresq; recedunt.
Contrà autem Solymi cumulabāt funera passim
Occidit eccè Probus miserè, tùm robore summo
Pierij cadit Authomedon, dextraq; potenti
Fortis Alexandri moritur truculentus Hipalcon.
Armatus Ronson non ullo vulnere læsus
Cæsorum quà tendit iter sternebat aceruos,
Quos inter Montanus obit, fortisq; Leander.
Vt verò tenebræ, & fumus cessere, vaporq;
Ex oculis Romanorum; fera namq; minister
Vltrà opera infernus non iam tentare valebat;
Improuisò etenim hunc dilapsá sagitta peremit,
Incertum qua missa manu, (si dicere fas est,)
Forsitan è Cælo venit proiecta superno.

Con-

Continuò Solymæ ſpectantur in ordine turmæ
Ignibus, & ferro caſtris fera damna ferentes,
Cladeſq; agnoſcunt. dimiſſa fronte videntur
Ingentes animo Aeneadæ verſare dolores,
Quos tamen intrepidus verbis animabat amicis
Cæſar, & heus inquit cur veſtra audacia cædit?
Quis timor ò Itali, ſi propugnacula nobis
Telaq; ſufficiunt, queis longè arcebimus hoſtes?
Induit arma celer regalia, & imperat omnes
Rex armari acies, atq; obuia pergere caſtra
Hæbreos contrà. Regis præcepta capeſſunt
Aeneadæ, & miro procedunt ordine belli
Ardentes valido generoſi pectoris igne.
Extremas equites retinebant agminis alas,
Atq; vtrumq; latus: medio ſed in agmine tuti
Aſſiſtunt pedites, dextro Farneſius hæros,
Borgeſusq; aderant cornu, præclarus vterq;
Cencius à læuo, præſtanſq; Sabellus in armis:
Parte videbatur media Granaus, & ille
Nobile cui nomen fecit pulcherrima Pinus.
Auguſtus prouectus equo, qui curſibus Euros
Vinceret, (hunc genitum dicunt de ſemine venti
Auriferi propè culta Tagi & felicia prata,)
Qui dùm bella vocant emittit naribus ignem,
Rufis conſpicuus villis, & fronte ſeuera
Albis terga notis pulchrè variantibus illi,

 Inſtra-

Instratusq; ostro, & gemmis, clarisq; tapetis
Aurea fræna gerit Sonipes, fuluoq; monile
Auro sat grauidum pectus perstringit & armos.
Impiger, atq; audax nunc agmina prima reuisit
Nunc extrema simul, iamq; hic spectatur, & illic
Et modò conspicitur nulli, sic nubibus atris
Apparet modò stella nitens, latet illa vicissim.
Quem dubitare videt verbis hortatur amicis,
Spemq; alijs firmat, laudemq; audacibus addit,
Factaq; magnanimis memorat, maioraq; longè
Præmia, tunc ardens oculis hæc voce profatur.
Bellipotens Traiane, tuam nunc exprime factis
Virtutem belli, mihi quam iactare solebas,
Perge omnes igitur victrici perdere dextra,
Obsistunt quicunq; tuis modò viribus hostes.
Traianus contrà hæc Regi responsa ferebat.
Optime Rex, pereant nostro quot corpora ferro
Vndique non nè uides? dùm talibus ille superbit
Eccè Magassarum stricto se poscere spectat
Ense ferum. non terga dedit: sed pectora bello,
Atq; illi minitans, quis te, inquit, casus adegit
O miser, vt conferre manus, & prælia mecum
Tentares? merito patieris vulnere mortem.
Ille refert contrà, siquidem te poscimus vnum
Tot, tantosq; inter, comitũ vt mihi pessime, poenas
Cæsorum expendas, vel quæ tot sola peremit

Me

Me extremo pariter mittat tua dextera letho.
Hoc equidem eueniet, socijs comes ibis ademptis
Traianus loquitur, ferrumq; intorsit in hostem:
Ille sed auertit, nec vulnere læditur vllo,
Ac aditus tentat varios, iterumq; retentat
Hostile vt possit per pectus condere ferrum;
Hæbreus tamen armipotens se se ipse tuetur
Fulminis ense modo, varios & proicit ictus
Hosti, iamq; ferit clypeum, percussaq; longè
Nunc resonat cassis, te forsan, Ibere, domasset
Funere supremo: casu sed futilis ensis
Frãgitur, & Solymi tùm dextra remansit inermis.
Extemplò victor dulcissima munera vitæ
Transadigens illi costas Traianus ademit.
E Solymis etiam Henricus fortissima bello
Corpora cædebat Gallorum Ductor ouanti
Pectore, quem longè dum resplendentibus armis
Fortis Oleardus, Laurensq; animosus, & acer
Ardelius conspexissent pernicibus illi
Accelerant plantis duro se opponere Marte.
Tùm verò Dux Henricus venientibus illis
Opponens hastam solido se robore monstrat
Omnibus, & ferrum nunc hunc, iam torquet in illũ
Atq; hi dum pugnant furtim succurrit Arisba,
Magnusq; Antenor collo caput abscidit ille
Ardelij, iugulo Laurentis figit acutum

Hic ensem, & voce, & spoliat vitalibus auris;
Tùm contrà Euriclem Henrici dum funera poscit
Vertunt tela citi, pedibus qui Marte relicto
Confidens fugiebat eos, ipsiq; sequuntur
Hùc illùc, partes castrorum atq; itur in omnes.
Sic Ceruus si fortè canes in valle virenti
Conspiciat properare fugam celer arripit, illi
Per iuga sectantes vallem, syluasq; peragrant;
Dùm fugiens tamen ille miser furit agmina circùm
Concidit in terram, subito quem vulnere Arisba
Sauciat, & lateri capulo tenus abdidit ensem,
Qui moriens vltra haud surgit, ceù læsa cupressus
Ferro, non iterum ramos, aut germina profert.
Armaq; dùm exercet tuscha dè gente Camillus
Qui genus antiqua ducebat origine Regum
Insignis facie iuuenis, quo carior alter
Non erat Augusto, qui prima hæc bella secutus
Altus equo, ingenti crista, & radiantibus armis.
Marte nouo gaudebat ouans, tunc comminus illi
Fulmineum iaculum sub pectore torsit Ananus,
Sternitur infelix animam cum sanguine fundens
Tuscbus, & extrema Regem tèr voce vocauit.
Rex iuuenis doluit casus vt vidit, & ira
Percitus ardenti dirum poscebat Ananum
Atq; ait, has hodiè numquam te euadere tutum
Permittā (scelerate) manus, dabis improbè poenas.

Nil

Nil audet contrà Hæbreus, refugitq; repentè
Ex oculis longè quærens se auertere Regis.
Ceù lupus è pleno postquam detraxit ouili
Agnum se occultat syluis pastore fugatus.
Rex tamen insequitur velox per tela, per hostes,
Mille hastas contrà hæbreum vertere; sed alta
Voce Augustus ait, sinite hunc mihi soluere poenas;
Nam mihi debetur soli, castra vltima tandem
Effugit Solymus, campo & discurrit aperto;
Non tamen Augustus cæpto desistit; & ipsum
Iam iam prælonga post tergum cogitat hasta
Percutere, vt sensit Solymus superesse periclum
Tàm propè, non audet Regi se opponere, & vltrà
Impediente fugam fluuio, se immittit in vndas.
Naufragus hùc, illùc partes defertur in omnes
Irroratus aquis, magnaq; aspergine fusus,
Nomine compellat multos clamoribus altis;
Saltat equo Rex ingenti commotus ab ira
In fluuium, sequiturq; hostem, nec deserit vnquam
Hostili donec collo caput ense recidat
Fluctibus in medijs. tantas dolor excitat iras.
At Regi longè maior restabat ab amne
Ad terras remeare labor, quem multa grauabant
Pondera telorum: magna hunc cinxere caterua
Mille uiri auxilium Regi præstare volentes;
Sed tamen in tantis cælestia numina rebus

Non

Non hominum conspecta oculis fauere precanti,
Conuersoq; animis celsum super æthera Regi.
Fluminis intereà nando discrimina tutus
Omnia vitarat Cæsar, tùm pectore ab imo
Persoluit grates superis tellure potitus.
Iamq; propinquarat Castris Augustus, & illum
Læti animis cæpere lui: sed tristia versant
Aduentu Regis Solymorum corda phalages:
Et iam Tepthæus longo certamine morti
Henricum dederat factis, & origine clarum,
Defunctiq; vrbi Solymi deferre cadauer
Nituntur moti gemmis, spolijsq; superbis,
Quos inter sæuus Rombuldus, & acer Agiras
Instabant operi nimiùm: sed robore summo
His aduersantur Medix iacientibus armis
Flammarum similes radios, fortisq; minatur,
Huic comitem se se iunxit Farnesius Heros
Et Gonsaga potens, quos multi ad bella sequuntur;
Multiq; occumbunt; numero at maiore cadebant
Infandi Solymi ferro; tunc orsa ferebat
Magnanimus Medix, non hìc de corpore tauri
Atrox fit pugna, aut fului de pelle leonis;
Maior causa mouet sæuo deducere magnum
Nominis eximij Henricum certamus ab hoste,
Auxilium qui sæpè dedit nostra arma secutus:
Eccquis honos Italis aderit, quæ gloria nobis
Fauto-

Fautorem liquisse Ducem prædam esse ferarum
Hostibus infandis? nostro de nomine longè
Tantum absit facinus, fortes nunc ergò ruamus
O socij, certi aut castris afferre cadauer
Cum reliquis, morti è nostris quos casus adegit,
Aut hic pugnando vitam diffundere in auras.
Dixerat, & dictis hæros animauerat omnes,
Acrius exurgit bellum, cumulantur acerui
Cæsorum, sanguis discurrit fluminis instar.
Cernere equos erat errantes, dominisq; carentes.
Et singultantes dominos, gemitumq; trahentes,
Ac expirantes. rumor defertur ad aures
Augusti, horrendas diro Mauorte ruinas
Esse ibi, confestim currit velocior Euro.
Vt leo, qui celsi spectans è culmine montis
Stare armenta boum circum florentia prata
Si celer irrumpat, multis fata vltima portans,
Non illi se se opponunt, refugitq; potentem
Hostem turba canum, sic dum se immiscuit illis
Cæsar damna ferens Solymis; perterritus omnis
Non audet conferre manus, & castra pererrat
Exanimum corpus longè post terga relinquens.
Vt verò hæroem Cæsar conspexit ademptum
Non tenuit lachrymas, gemitusq; è pectore ducens.
Hei mihi mors, inquit, qualem rapis inuida amicũ,
Quantum ego præsidiũ, quantũ tu maxima Roma

Extin-

Extincto hoc perdis, quàm deest Laurẽtibus armis:
At tu cælicolis cælo decus addite Diuis
Parce meis lacbrymis, Henrice, haud me tua felix
Sors lacbrymare iubet summo dùm viuis olympo
Cælicolas inter: sed quæ fero plurima damna,
Aspectu dum, care, tuo dextraq; potenti
Consilijsq; tuis careo, quibus ante iuuabas.
Salue igitur felix anima, & cælestia nobis
Auxilia exposce æternùm. ad tentoria duci
Tùm princeps Italum corpus lacbrymabile iussit,
Extremo quod lectæ acies comitantur honore.
Intereà Solymi magnis terroribus acti
Cædebant pugnæ, & plantis velocibus vrbem
Intrabant, noctiq; dies iam cesserat atræ.
Vtq; iterum lux alma data est, de more salutat
Numina magna Titus, sacris qui deinde litatis
Cæsorum tumulis componi corpora mandat.
Nec mora. construxere pyras, vrnaq; teguntur
Functorum cineres. pario de marmore surgit
Henrici tumulus magni, iuuenisq; Camilli.
Stant super arma Ducum, & nomen, patriamq; genusque
Declarat maiore nota memorabile carmen.
Tùm Ducibus coràm ad regalia tecta vocatis
Ioannes dolet, extremum quia soluere munus
Hæbreis nequit extinctis super omnibus vni

Iusta

Iusta Megassaro haud posse, & persoluere honorem
Torquetur magis, atq; magis: nàm carior alter
Vix erat hoc illi (sineret dum viuere fatum,)
Et Regi Aeneadum legatos mittere censet
A quo exorarent vt mortua corpora donet,
Muneraq; argento, gemmisq; rependere vellet,
Idq; palàm loquitur, taciti omnes ire recusant.
Hic aderat bello insignis formosa virago
Penæa, Italidum Regem quæ sæpè locuta est
Felices quondam Aegipti dum viseret oras,
Atq; ait, ibo animis fidens (Dux inclyte) Regi
Romano tua vota ferens, me forsitan ille
Audiet, atq; sinet nostrorum membra sepulchro
Condi. Dux oculos cælo, Palmasq; tetendit
Ingentiq; fouens pectus dulcedine fatur.
Quis tibi, quis meritas vnquam persoluere grates
Magne pater Diuũ poterit? Solymæ omnia quãdo
Non sinis in peius ruere, & noua pectora semper
Ingenuis ausis firmas, & viribus auges.
I Decus, i nostrum, quò te tua maxima virtus
Fert Penæa, equidem te gloria magna sequetur,
Et laus æterna, & meritis quoque gratia dignis.
Nec mora, carpit iter, currum conscendit in au-
Assyrio diues cultu, comitatur euntem (reum
Lecta manus peditum, & cunctis miranda videtur
Maiestatis habet tantum, decorisq; supremi.

Aurea Cæsaries illi, & sunt lactea colla,
Nec sua labra rosæ, & non æquãt lumina flammæ.
Purpureis quondam talis prouecta columbis
Est conspecta venus lucentem scandere olympum.
Et veluti senio Phænix exuta vetusto,
Quùm petit externam eois de finibus oram
Ad se se volucres spectandam prouocat omnes
Auratis pennis, & versicoloribus alis,
Nec vidisse sat est, illam venerantur, adorant
Concentu & vario vocum, modulisq; salutant.
Sic hominum mentes, oculosq; tenebat imago
Penææ, & nunquam possunt se explere tuendo
Itq; salutata, & latium se poscere Regem
Indicat Æneadis, certus narrauerat autor
Illius aduentum Regi, qui accedere iussit.
Hæroum in medio, ac solio sublimis in aureo
Stat Cæsar sceptro, tùm maiestate verendus.
Flexa genu hunc virgo merito veneratur bonore.
A Rege vtq; fuit concessa licentia fandi
Penæa has placido fundebat ab ore loquelas.
Optime Rex Italum non concessure Quirino
Laudibus, & meritis non concessure Camillo,
Ioannes misit, tua me clementia traxit
Orantem veniam, defunctaq; corpora vita
Poscentem è Sclymis quæ Italum cecidere sub armis
Iam dudum, vt liceat tumulata quiescere in vrna

Neuè

Neuè inhumata forent volucrumq; cibusq; ferarũ,
Pondere quæ argenti, atq; auri dona ille rependet.
Facti, atq; infecti, ac ideò supplexq; humilisq;
Ipsa tuis voluor genibus, per numina Cæli
Per te, perq; tuos oro concede sepulchro
Corpora Cæsorum condi, cineresq; meorum;
Hoc pauidæ matres orant, miseriq; parentes,
Fœminaq; orba viro, diri solatia luctus,
Credibile est animas etiam, quæ hæc prata pererrant
Orare, vt sineres tumulo sua membra reponi.
Fortè tuis similes casus fortuna reducet
Olim Romanis, & nos donabimus vltrò.
Præterea me iam pridem nemus inter opacum
Cæstius ignotam aggressus certamine longo
Hac dextra occubuit, qui me sua ferre rogauit
Arma suo Placido moriens, & fœdera mecum
Lumine in extremo iunxit. nunc armaq; vexi
Nec prius adueni accepto dum vulnere tardor.
Hæc illa, Æneadæ rerum nouitate stupebant
Alter in alterius iactantes lumina vultus.
Quùm subitò Rex affari sic incipit ore.
Quæ petis in nostro dispersa cadauera campo
Largior interfectorum, ac impunè legantur
Per tres, (virgo,) dies funebria munera dentur,
Nec pretium accipiam, pretiosaq; dona recuso,
Non mihi mercandi; at bellandi est firma voluntas

Contrà bellantes, & prælia dira volentes,
Nec tumulum inuideo, moueo nec bella peremptis.
Sed quæ tu Placido duxisti ingentia tecum
(Nam vir abest) poteris Traiano credere tela,
Postea quæ hæroi reddet. nec plura locuto
Persoluit grates Regi Penæa, deditq;
Arma Duci (Sicut Cæsar præcepit) Ibero.
Dein repetens vrbem Solymis responsa ferebat
Penæa, accingunt operi se protinus omnes,
Busta legunt, vrbisq; ferunt ad moenia plaustris.
Vndique quos gemitus, miseræ quas voce querelas
Extollunt matres cædentes pectora pugnis
Exanimos dum conspiciunt, lacerosq; sepulchro
Componi natos, damnantq; horrentia Martis
Prælia, & ad pugnas Solymorum audacia vota.
Vtq; Megassarum miseranda morte peremptum
Aegeria aspexit Coniux, concussa dolore
Proscindit vestem, & pectus percussit honestum
Et super incumbens effundit flumina luctus,
Atq; est per medium sic deinde effata furorem.
Care vir, & cui me miserā defuncte relinquis?
Non genitor, non est genitrix mihi, nec mihi fratres,
Tu Dux, tu fueras requies mihi portus, & aura.
Nunc sinè te quid agā vidua, & florentibus annis?
Quis Solyma euersa curam geret (optime) pro me?
Arsuras etenim Solymas mente auguror igne,

Ma-

Matribus heù ducar seruitum præda Latinis?
Aut victoris heri cogar durare cubile?
Heù cur non potiùs secuerunt fila sorores
Fila meæ vitæ, nè te dulcissime coniux
Cernere sustineam immaturo funere raptum?
At tibi quæ spes, Aureli, carissime fili
Pars animæ, meliorq; meæ mea sola voluptas,
Dùm tanto genitore cares crescente sub æuo?
Virtutis sub quo disces præcepta magistro
Quæq; probanda tibi, vel quæ fugienda venirent
Matris cura tuæ & comunis pignus amoris?
Heù quantum timeo nè tu capiaris ab hoste,
Romulidumq; dolis turri proiectus ab alta
Funera summa feras: odio te scilicet omnis
Italus insequitur; genitor quia corpora morti
Multa tuus dederat, multos patre fecerat orbos.
Ah coniux, ah magnorum causa alta malorum,
Quas mihi, quas domuiq; tuæ Solymæq; ruenti
Liquisti moriens lachrymas, miseralq; ruinas.
Ah cur non licuit saltem coniungere dextram
Huic miseræ dextræ dum fata suprema subires?
Cur non extremas audire, & reddere voces?
Et cur non licuit mandata nouissima habere
Coniugis optati, quorum memor vsq; fuissem?
Talia dũ queritur lachrymis velut imbribus ortis
Semianimis cecidit, nec vox, aut verba sequuntur

Præ-

Prætereà. accurrunt matres, tectumq; per omne
Fit gemitus, resonantq; altis plangoribus ædes.
Et miseræ Aegeriæ attendunt succurrere limphis.
Inde Megassari canos laniata capillos
Mater, sed non iàm mater tremebunda senectu
Imbre madens vultum tales dabat Ida querelas.
Ergò nate iaces Solymorum maxime Ductor
Qui toties Solymam iuuisti fortibus ausis?
Ergò animi vigor ille tuus, visq; illa recessit
Corporis immensa? heù languet tua cognita virtus
Spectata hæbreis, Italumq; iuuisa cateruis?
Eccquis erit Solymæ victo qui ex hoste triumphos
Vlterius referat, dùm tu fortissime casu
Indigno premeris, fato superatus iniquo?
Heù digna imperio faciesq; simillima Diuis,
Romulidis quæ terror eras, quis puluere nigro,
Sanguine teq; atro immersit? cui tanta potestas?
Abstulit heù quantum è terris decus, hei mihi quãtũ.
Perpetuò nostris animis dedit ille dolorem.
Felix morte tua genitor, cui fata dederunt
Ante mori, quàm conspiceres crudelia nati
Funera: at ipsa dolens tristissima tempora ducam,
Nec nisi mors poterit tantos finire dolores.
Floribus & iam diuersis, atraq; cupresso
Extincti corpus velant, feretroq; reponunt
Persusum myrrha, Cedroq; & odoribus auctum,

Moeren-

Moerentes quod mille viri comitantur, & arma
Versa gerunt, circumq; faces longo ordine splendét,
Et demum inferijs Solymorum more solutis
Conduntur Ducis extincti tumulo ossa recenti.
Terrarum intereà totum pennata per orbem
Fama volat. resonumq; tuba dat in æthere cantum;
Rumoresq; serit varios, obsessaq; magni
Moenia Dauidis Romano milite narrat,
Nec silet audaces Solymorum ad bella furores,
Atq; indefessas Italis obsistere mentes,
Damnaq; Romulidum, & grauiora pericula veris
Implicat, & belli Solymis portendit honorem.
Poenorum hinc aliquis, getico seù natus in orbe
(Inuidet Aeneadis quoniam noua Regna parari)
Infensa est secum tacitus sic mente locutus.
Qui populi, qui nam poterunt satiare triumphi
Pectora Romulidum, domitoq; ex hoste trophæa?
Auri tanta fames, dominadi tanta cupido
Est illis, numquam vt possint desistere ab armis:
Sed noua continuò meditentur bella, nouosq;
Concipiant orbes animo, & noua subdere Regna?
Aspicit hæc æquus Diuum pater, atq; virorum
Prætereà & patitur? votisq; arridet iniquis?
Nō equidem: Romana etenim nunc vindice Cælo
Omninò Solymis superata potentia cædet.
Contrà autem, Romanorum qui iura tuetur

Sic

Quodq; magis doleo, quod me magis vrit & angit
A Solyma dicar vinci potuisse rebelli
Martia Roma potens armis & nescia vinci?
Quæ inuictas vici gentes, totumq; subegi,
Imperio mundum, Solymis modò victa recumbam?
Quod scelus admisi? quæ nam me crimina damnant?
An non perpetuò tibi debita templa nouamus?
Aris nonnè tuis sacramus thuris bonores?
Non nè lacessiti Solymos contrà arma mouemus?
Hæbreos igitur ratio quæ postulat ipsos
Affore victores, Romanaq; iura repelli?
Sis memor alme sator Diuum, Cæliq; creator
(Fatorum series vetus est & cognita Diuis
Si modò vera docent magnorum carmina vatum,)
Terrarum quòd me Reginam feceris orbis,
Et fore victricem bellis, quæ cunq; mouerem,
Semine ab æthberio atq; ideò mibi firma dedisti
Principia, occasum hinc nunquam visura fruebar,
Quæ nunc diuinam mutat sententia mentem,(gnus
An quia cũ Solymis bellum est? hos vincere Ma-
Non nè priùs potuit, nostra & ditione subegit?
An tua progenies Cæli dimissa per auras
Maluerit quoniam Solymorum finibus olim
Prendere mortales artus, hominumq; figuram?
Felices oræ, fortunatiq; recessus,
Qui tale, ac tantum cæpistis pignus amoris


Diuini, quo non aderit præstantius vllum.
Gratia rara quidem Solymæ: sed præmia contrà;
Quæ tibi, quæ Nato soluit pro munere tanto?
Scis pater omnipotens, scis nec te obliuia fallunt,
Quod malè grata Deum spoliauit lumine vitæ.
Me miseram, æterni soboles æterna parentis
Ah Deus, atq; Dei proles certissima veri
Diuinum pateris cædi cur vulnere corpus?
Heù cur tanta tuo patientia corde resedit?
Ah Cælũ, ah superi, ah superũ Deus optime Rector,
Cur scelus indignum spectastis ab æthere inultum?
Parto igitur Solyma incolumis Regina triumpho
Morte Dei felix cunctis dominabitur annis?
Eccè ego suspensum ligno dum mente reuoluo
Aethereum Regem, nimioq; cruore madentem
Palmas, atq; pedes, transfixaq; pectora ferro
Non teneo lacbrymas ingenti mota dolore.
Et iam nunc cuperem sceleratas sumere poenas
Ob facinus tantum à Solymis, atq; igne nefandas
Perdere supremo gentes, & funditùs vrbem
Delere, vt serò venturi in soecla nepotes
Poenarum, iustiq; habeant monimenta furoris,
Atq; Palæstinas vadens peregrinus ad oras,
Relliquiasq; videns, altæ fastigiaq; vrbis
Hic dicat Solyma illa stetit, quæ sola superni
Morte Dei gauisa fuit, dein funeris atri

Ritè

Ritè dedit poenas Romanis obruta telis
Hoc precor, hoc opto, Altitonans succurre precanti,
Affer opem si iusta peto, si debita posco,
Venturum Solymæ excidium cecinere priores,
Tempus adest tandem, iam viribus impia nostris
Digna luat Solyma, in cineres eat, inq; fauillas.
Nec decus, aut laudem curo, nec nominis auram,
Non mea non; tua sint tantarum munera laudum,
Scilicet à te omnis belli victoria pendet,
Per te Regna ruunt, per te felicia surgunt
Imperia, & per te si quid Romana putatur
Res creuit, posthàc solùm tibi fidimus vni.
Talibus orabat Cælestem Roma parentem
Tristi, humiliq; modo, latè loca questibus implens
Menteq; diuina pietatem mouit, & iram,
Excepitq; preces placido Deus ore. repentè
Omni ex parte poli treme facta est Aula sereni.

Finis Septimi Libri.





IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER OCTAVVS



VM pater omnipotens culmen stellantis olympi
Ira ardens adijt, sublimi & sede resedit
Terrifico armatus metuēdam fulmine dextram,
Cælicolum quem circumstant magno agmine cætus
Aligeri iuuenes, humero pars grandibus alis
Exornat, pars & terno talaria plantis

Ordine pennata annectit, variusq; relucet
Non color vnus eis, gratissima purpura multis
Hæret, & aurum illis, croceo pinguntur acantho
Innumeri, splendent multi viridante smaragdo,
Terga alijs alij variata coloribus ornant.
Sic varios Iris aduerso sole colores
Profert, sic tellus redolentis tempore veris.
Nimbipotensq; Deus, rerum inuiolata potestas
Sic fatur Superis, siluerunt atria Cæli
Dum loquitur, diram ventorum pressit in arce
Aeolus aeolia rabiem, & neptunia Regna
Murmura nulla mouent, & splendet lucidus aer.
Sit satis Aeneadas Solymæ vidisse per oras,
Tot cædes, tot damna pati. iam denique vincant
(Vincere quos dignũ est) Romani, Adamãte notaui
Hæc olim mea vota, eadem modò vota supersunt,
Quæ numquam mutare potest longinqua vetustas
Tuq; etiam, cui castra dedi Romana per æuum
Custodire, celer terras descende per imas
Aliger, & solito plùs auxiliare Latinis,
Infernosq; veta fraudem vltrà inducere manes
Romanos contrà. Regi Placidumq; potenti
Fac vt conciliet Symeon, fortissimus ille est,
Debeturq; polis. pestemq; famemq; per omnem
Duc Solymam. sic peste, fame, belloq; superbi
Intereant Solymi maculati sanguine sacro.

Hæc

Hæc ait, & contrà Hæbreos inspirat iniquos
Cælicolis odium, veteres atq; aggerat iras,
Nuncius inde sacer diuina ad iussa paratur.
Est locus in Cæli medio sublimis, & instar
Ingentis Templi, sunt hic argentea tecta,
Aureus est paries, ærati cardine postes,
Vndique conspicuus superis, quiq; ætheris alti
Eoas habitant sedes, septemq; triones,
Australesq; plagas, & quos videt Hesperus oris
Occiduis propior. Fixa intus tela renident
Ordine quæq; suo Cælestum, victa rebellum
Agmina queis olim sociorum praua fuerunt.
Sunt hastæ, sunt hic enses, clypeiq; micantes
Hic pharetræ, atq; arcus sunt, lethiferæq; sagittæ,
Diuino monitu vt miseris mortalibus obstent
Interdum hinc acies cælestes arma resumunt,
Vnde mala, & pestes terra spatiantur in ima.
Romulidum æthereus custos huc venit, & arma
Opportuna legit Solymis nocitura malignis,
Ingensq; eduxit scutum, quod Regna, quod orbes,
Innumerosq; queat populos, & castra tueri
Auxilio Romanorum, cui nulla resistunt
Robora, cunctorum & cædunt molimina rerum.
Aeternus mixto faber hic cælauerat auro
Romanas acies, primaq; ab origine gentes
Romuleis victas Ducibus, sanctumq; senatum
Con-

Condentem leges, & Iani templa bifrontis
Mandantem haud vltrà parta iam pace recludi.
Hìcq; videbatur niueis inuecta quadrigis
Aurato residens curru pulcherrima Roma,
Stat capiti gemmisq; nitens, auroq; corona;
Sceptra verenda manu, comites Clementia secum
Et virtus, & Pax, rerumq; Potentia vadunt.
Hostiles circùm exuuiæ, & spolia ampla geruntur.
Cassida stat iuxtà, & clypeus, tùm longior hasta,
Sub pedibusq; tenet septenos ardua colles,
Statq; quiescenti similis Tiberinus amictu
Velatus glauco magnam sub brachia pressans
Vrnam, ex qua tumidas prorūpit flumen in vndas.
Antè triumphales currus mœstæ ire videntur
Europa, atq; Asia, & manibus post terga reuinctis
Africa, quæ totiès bello superata refugit
Romanos dominos. post copia multa virorum
Prosequitur longè, peditumq;, equitumq; cateruæ.
Parte alia Clypei aspiceres meliore metallo
Fulgida vt Astra poli triplici splendere tiara
Pontifices summos Tarpeia sede regentes
Iura renascentis mundi melioris habenas,
Sacros antè pedes quorum submittere sese
Prostrati apparent posito diademate Reges;
Quandoquidem non humani concessa potestas
Imperij est illis tantùm: sed claudere possunt

Aeternas Cæli, pariterq; recludere portas.
Cælestisq; licèt cunctos descripserit auro
Quos fore venturum prænouerat author in æuum
Moribus, atq; fide, ac omni virtute decoros;
Attamen acceptum Romæ super omnibus vnum
PAVLVM, qui tali dicetur nomine QVINtus
Bellorum sedantem æstus, acresq; tumultus
Cernere erat plausu ingenti iuuenumq; senumq;
Illum visendi studio ruere vndiq; gentes
Vrbibus è cunctis, atq; aurea sæcla sub ipso
Principe non dubiè scutum memorabile monstrat.
Pacatasq; etiam colere, & sinè crimine terras
Astræam rursus confisam linquere Cælum.
Nuncius & iàm diuinus volat æthere ab alto,
Præuertitq; citus nubes, Zephyrosq; volucres
Ad terras commissa Dei vt præcepta referret.
Intereà solio hæroes Augustus ab alto
Concilio in medio accitos Mauortis in æstu
Alloquitur, veluti descendunt flumina celso
Monte, niues postquam Phæbi dissoluerit ardor
Copia verborum dulci sic plurima Regis
Ore fluit, cuncti pendent narrantis ab ore.
Si quæ nos dedimus, si quæ numeramus ab hoste
Passi damna sumus Solymæ nos sorte grauatos
Deteriore patet, fuerint aut vota Deorum,
Aut fortuna, solet quæ humanis ludere rebus,
Aut

Aut casus, potiùsq; hostis fraudesq; doliq;
Quod sit cunq; tamen, testor pia numina Diuum
A vobis (proceres) pugnatum robore summo,
Et merita semper virtute, atq; arte magistra;
Præterita atq; ideò vestro nè pectore clades
Hæreat, vt turpem vobis gerat illa timorem:
Ast ad vindictam vires, animosq; ministret,
Si vester vos tangit honor, si gratia Regis
Vt decet, vt spero. atq; meam nunc discite mentem,
Hebræi vt penitus nostris vincantur ab armis.
Excelso muri Solymam circundare tractu
Expedit, & murum passim munire supremis
Turribus, vnde vrbi crudelia bella feramus
Nos tutò, & nunquam Solymas impunè licebit
Hostibus exire, & nostris occurrere telis,
Atq; illùc victum externis adducere ab oris.
Hinc erit infensis Solymis spes nulla salutis,
Nostrisq; aut se se submittent iuribus vltrò,
Extremo aut ibunt superati ad tartara Marte.
Magnum opus est, (fateor) tanto præcingere muro
Vrbem adeò vastam: at Romana potentia magnis
Assueta est, faciles & gloria spernit bonores.
Dixerat. assensere omnes regalibus orsis,
Atq; palàm vnanimes regalia vota probarunt.
Talia tum Mentor consurgens voce profatur.
Nate patris summi, Regis Rex filius idem

Præuideo, haud ferro poterunt, nec se igne tueri.
Hinc te victorem læto tua Roma triumpho
Excipiet, nomenq; tuum, laudesq, manebunt
Donec voluet aquas Tybris Romanus in æquor.
O si florentes anni, viridisq; iuuentus
In me esset, nunc prima manus mea saxa locaret,
Murus vt exurgat, nec me labor iste grauasset
Noctes, atq; dies opera ad fabrilia promptum,
Munera nec dedignarer, quòd nobile nomen
Me Ducis illustret: nullum est in milite munus
Indignum quodcunq; gerat pro principe in hostes.
Iccircò fieri pontem cùm fortè iuberet
Mirandum Cæsar quondam per flumina Rheni
Dùm transire cupit, bellumq; inferre Sicambris
Flauicomis, ego ligna tuli, fabrosq; iuuabam,
Hortabarq; Duces operi, qui annectere ligna
Gaudebant lignis mecum, & tolerare labores.
Quas animo Cæsar voluebat talia spectans
Lætitias, nimia complens dulcedine pectus?
Nec mora lõga fuit, quùm pons perfectus in vndis
Romanas cæpit turmas tutò arua petentes.
Nunc vires quoniam demit mihi pigra senectus
Voce senex hortor cunctos, moneoq; vicissim
Militibus iunctos, fabrisq; attendere, in altum
Vt moles surgat Solymis nocitura superbis.
Hæc Mentor, cunctiq; alacres molimine summo

Sese operi accingunt, quorum pars moenia signat,
Saxa gerunt multi, pars fundamenta locabat,
Aedificant alij, munus subeuntq; volentes,
Et tot conueniunt, frondes quot decutit Eurus
Arboribus, vel quot violentus voluit arenas (ctus:
Littore in immenso, & quot frangit in æquore flu-
Non etenim fabri solùm: at mucrone relicto
Omnis miles, & inuigilat Dux omnis, & instat
Rex operi multùm; sic dùm implent nectare cellas
Exercentur apes, redolent quùm floribus arua.
Nec minus excubias, armatasq; agmine ab omni
Imperat insomnes Cæsar vigilare phalanges,
Extolli molem nè gens inimica vetaret.
Intereà Aeneadum Castris succedere iussus
Alite ab ætherio Symeon nemora alta reliquit
Et se se coràm Romano Principe duxit,
Quem sacer Antistes digno veneratus bonore
Sic deinde alloquitur procerum stipante caterua.
Maxime Romulidum, Solymæq; euersor iniquæ,
Quamuis te notum faciat tua maxima virtus
Vndè oritur Titan, & quò atro vespere tendit,
Quàq; patet domitis Romana potentia terris,
Iustitiamq; Fidemq; tuam probet omnis, & omnes
Cædere ritè tibi hæroes, Regesq; sciamus;
Te tamen alma tuo residens Clementia corde;
Namq; hac perpetuò prò templis sede moratur,
Suprà

Suprà homines statuit, numero miscetq; Deorum,
Qua duce turpe putas poena, humanoq; cruore
Regales maculare animos, & parcere victis
Te docet hæc eadem, & furiati pectoris iram
Quàm subitò mota est longè depellere victam.
Cunctorumq; preces semper placabilis audis.
Ad castra hac etiam insontem permitte reuerti
(Nāq; rogo) Placidum, siquidem non illius armis
Cæstius occubuit, verum mihi crede fatenti.
Albinum occidit (cædo) compulsus ab ira,
Sed dignus venia est, subitam quis temperet iram?
Quisuè improuisum nouit frænare furorem?
Parce viro tandem supremi more Tonantis,
Qui veniam orantes, quouis sint crimine sontes
Audit, & in duras aduertit fulmina rupes.
Sit satis, ò Regum Rex clementissime, syluis
Algentes tolerasse niues, Phœbiq; calores,
Magnanimumq; errasse Ducem loca multa petēté,
Iam Solymos contrà concede exerceat arma,
Pugnando totiès quæ hostili sanguine tinxit.
Scis quantum possit dextra, & quàm prōptus inibit
Quoduis discrimen Romanæ laudis amator.
Hoc ego te supplex oro, quin certa voluntas,
Et mens alta Dei est Placidū ad tua castra reuerti
Exitio Solymæ. hæc Symeon, cui talia contrà
Rex breuiter responsa dabat. Dic castra reuisat

Tutus

Tutus, & arma gerat Placidus velut antè gerebat.
Insōtem haud damno, & veniam concedo nocenti;
Id mihi namq; Deum monitis oracula suadent.
Arma reuersuro da nunc, Traiane, referri,
Adde viæ comites etiam, armatamq; phalangem
Vt decet. hæc Cæsar. cuncti lætiq; fremebant
Assensu vnanimi proceres, super omnibus vnus
Traianus gaudet, Regi & parebat ouanti
Pectore, & arma dedit Placido referenda, iubetq;
Qui reducem comitentur herum, iungitq; cobortem.
Tùm grates Symeon imo de pectore soluit
Romano Regi, & gressus celerabat aniles
Ad Placidum, & lecti iuuenes comitantur eūtem.
Vndique tum Cælum innumeris nox sparserat Astris
Cum Ducibus tum Rex posito discumbit in Ostro
Exercent famuli lymphas, & munera Bacchi.
Aurea vasa alij centum, cereremq; ministrant,
Mensasq; omnigenis dapibus miro ordine complet.
Iamq; epulis expulsa fames regalibus, & iam
Dimotæ fuerant mensæ, tùm fronte serena
Rex ait ò nostros qui carmine sæpe labores
Et cythara releuas, & tristia pectora mulces,
Post varios casus, post tot discrimina belli
Musarum splendor, Stati, quem dulcis Apollo
Edocet, & latiæ insignit facundia linguæ

Eia

Eia age, fare aliquid suadent dùm sydera somnos,
Tùm Mergellinæ, & Sebethi filius amnis
Statius Aeneadum Regi parebat, & altis
Obloquitur numeris magni primordia mundi,
Nec contentus eo enarrat qua grando, niuesq;
E regione poli veniant, imbresq; rigentes,
Fulgura, & humanas motura tonitrua mentes,
Cur tempestates, pluuiasq; minetur Orion,
Cur tristes morbos, & fata suprema Cometæ
Regibus Augustis signent, miserisq; tirannis,
Præbeat vnde Iris tantos variata colores,
Mutuet vnde sibi lumen surgentibus Astris
Phæbe, & cur olim radios nigrescere Solis
Cernimus, & quantum fulgenti Lumine prosit
Seminibus cunctis rerum generator Apollo.
Aureus eois & iam surgebat ab agris
Sol, orbi nitidamq; ferens lucem, atq; labores.
Tunc Diuum meritos aræ sacrabat honores
Rex Italum, atq; preces fundebat pectore ab imo
Aetherio Regi. Cælum ecce repentè serenum
Tèr læuùm intonuit, mentes, & lumina vertit
Augurium Cælo. liquida dilapsus ab æthra
Aeris in medio Accipiter violentus amatas
Turbabat Veneri volucres, mixtasq; palumbes
Agmine condensas longo, quarum vnguibus vncis
Innumeras perimit, rostro multasq; retortò

Dat

Dat letho, atq; alias mota diuerberat ala,
Hùc illùc aliquæ, subitus quia terror adegit
Effugiunt pauidæ, Romanaq; castra petebant.
Occiduis improuisò quùm magnus ab oris
Remigio alarum properans Iouis armiger illi
Obuius it similis minitanti: prælia primùm
Accipiter tentare audet: tamen ipse Tonantis
Ales inardescit magis, & magis æstuat ira:
Et se hostem contrà conduxit fulminis instar,
Atq; aduersantem frustrà comprendit, & alto
Aethere fert pedibus secum stridentibus alis,
Finesq; hesperios repetit. sic mercibus aucta
Ad portum remeat nauis spirantibus Austris
In puppim. Extemplò Iapix prædicere doctus
Prodigia, ac auium ventura aperire volatu
Voce alta exclamat, vinces Rex optime, vinces.
Portendunt id aues, & cælica signa notaui
Moeniaq; euertes Solymæ, domitumq; tremendum
Romano dare colla iugo captiua videbis
Ioannem, Solymos qui seditione subegit
Accipitri non dissimilem, quem cædere iam iam
Venatrici Aquilæ conspeximus aere summo.
Hæc Iapix. cuncti ad Regem vertere latini
Ora Duces læti: tollens oculósq; manusq;
Ad Cælum Cæsar breuiter sic voce profatur.
Magne parens hominum, diuumq; æterna potestas.

Romu-

Romuleos cui cura fuit defendere semper,
Adsis iam tandem, præsens & Marte secundo
Omnia felici euentu felicia firmes.
Talibus auspicijs Itali dùm pectora complent
Lætitia; Solymorũ animos tamen horrida torquent
Signa hæc, queis Solymæ vates mala fata canebant.
Porta erat interior Templi venerabilis ingens
Phœbi prospiciens ortum, grauis ære, grauisq;
Ferro, ac ponderibus diuersi clausa metalli
Cardine multiplici, magnosq; recludere postes
Vi multa haùd acies posset numerosa virorum.
Tunc aperit se se illa, (quidem mirabile visu,)
Sponte patetq; sua, nec cardo, seræq; repugnant.
Talia dùm Solymi spectant miracula rerum
Obstupuere, animisq; fouent contraria vota;
Prospera namq; alij credebant omina, & indè
Quòd bona se pleno diffundat copia cornu
Hæbreis: alij, quibus est in pectore virtus,
Et Deus inspirat casus sentire futuros
Hostibus ingressus vrbi portendere apertos
Postes, & Solymæ excidium, cladesq; loquuntur.
Quin medio exurgens populo ceù percitus oestro
Præsago, talem soboles Inessus Amani
Effundit vocem. misere veh moenibus vrbis
Veh Solymæ, veh Iudæis habitantibus illam,
Omnia mors rapiet, dominabitur hostis vbiq;

Talia sæpè iterat lachrymis Ineſſus obortis
Noctes, atq; dies, nec quamuis multa minentur
Hæbrei abſiſtit, magis & clamoribus vrbem
Terrificis implet, ſuperum & prænunciat iras.
Intereà æterni vt gereret mandata parentis
Pacifera montis culmen viridantis oliua
Auratis Italum Cuſtos peruenerat alis
Romulidũ è Caſtris, poſtquam hæc tutiſſima iuuit,
Moeniaq; hinc ſpectans magno olim accepta Tonanti,
Sic loquitur ſecum: non te felicior vlla
Iampridem fuit vrbs Solyma: at tua crimina dudũ
Cælicolas omnes irritauere potentes,
Vt meritis commiſſa luas immania poenis.
Dogmata te quotiès Deus ad diuina vocauit,
Ceù criſtata ſuos cogit ſub tegmine fetus
Alarum volucris? vitijs tu intenta nefandis
Spreuiſti præcepta Dei, ſacrataq; iura.
Non mirum, ſi quæ vultu Regina decoro
Iam dudùm fueras gentes dominata per omnes
Serua pati dominum diſces nunc veſte ſub atra.
Et quæ auro, gemmiſq; monilia clara ferebas
Pondera tarda geres ferri modò vincula collo,
Quiq; tuos nuper demirabantur honores
Te deridebunt opibus, ſceptriſq; carentem,
Teq; odio infenſo cuncti miſeranda ſequentur,

Et

Et quot habet Cælum stellas quot littora arenas,
Quot frondes syluæ, salsos quotq; æquora fluctus;
Tot mala multa feres, nec te miserabitur vllus,
Molesq; aerias, tua Templa, excelsaq; tecta
Alta ruina premet, spatiabitur vndique flamma,
Seraq; posteritas tua vix vestigia noscet.
Hæc ait & suspensum humeris intercipit arcum,
Quo innumeros populos, & Castra superba doma-
Ingentem, qualem nunquam tetigere virorũ (rat,
Bellantes Acies, nec corpora vasta gigantum
Hunc manibus tractare queant; tamen ille gerebat
Arcum, ceù pueri tenui de stipite factum.
Inde manu telum pharetra deprompsit eburna
Anteà non tactum, ac sæuæ lignum vtile pesti,
Tùm super imponit neruo; & cùm ritè locasset
Dirigit in Solymam, & curuatis cornibus æquè
Arcus, vi magna in muros volat icta bipennis,
Stridore & valido fugiens diuerberat auras.
Iamq; vrbis medium muro digressa tenebat
Aere sublimi, subitòq; ignescit arundo,
O mirùm, medios fuerit ceù lapsa per ignes,
Et nitidas veluti stellas quandoq; videmus
Decidere in terras, aut assimilare cadentes
Sedibus è Cæli nigræ sub tempore noctis;
Accensæ haud aliter telo ex ardente fauillæ
Vndique diffusæ Solymam labuntur in vrbem.

Hæbreos funesta lues hinc orta petiuit,
Et primùm insuetos ardor tulit igneus æstus,
Noxq; diem, noctemq; dies feruentior atram
Subsequitur, Phœbiq; iubar, radiosq; nitentes
Nigro aer fumo, cæca & caligine densus
Occulit, ingenti sic flamma inclusa camino
Conspicitur nulli, at magnis ardoribus vrit,
Ardentesq; æstus Zephyri non mitigat aura,
Et Boreas, Eurusq; silent, & nocte Cometæ
Sanguinei apparent, cunctisq; immanior vnus
Ancipiti similis gladioq; cruore rubenti
Continuò trepida Solymos formidine turbat.
Arboreæq; comæ intrà vrbem, lauriq; virentes
Aresc.unt, liquidæ desunt & fontibus vndæ,
Insaniq; canes rabie vexantur iniqua.
Aere dumq; ferunt nimios fumante calores
Corpora languentes Hæbrei pigra trahebant.
Et iam longa dies belli, & gens plurima in vrbe
Attenuarat opes, Cererisq; & munera Bacchi
Deficere incipiunt, victumq; adducere ab oris
Externis Solymæ Aeneadum non Castra sinebat.
Inde dapes auri pretioso pondere emebant,
Dum stimulat vesana fames à diuite: at illi
Copia queis non est auri per Templa, per aras
Intrepidi vadunt, spoliantq; sacraria Diuum,
Permutantq; cibos: sed postquam copia rerum

Cunctarum dominis solùm successit auaris,
Omne nefas fas esse putant, communia credunt
Omnia, vi rapitur quodnon conceditur vltrò,
Alter & alterius prædo est. nemoq; quiescit
Iam partis dapibus, semperq; recentia mente
Cogitat, & numquam votum compescit edendi,
Cunctis causa cibi cibus ipse potentior, omnes
Post epulas longè ecce fame maiore premuntur,
Nec quod alit tellus, nec quod mare sufficit illis;
Nec cura est patri natis succurrere egenis,
Nec miseris nati patribus prodesse laborant
Inuigilat sibi quisq; adeò, ieiuna maritum
Expectat coniux sibi frustrà alimenta parantem,
Languescitq; domi, pueroq; carentia lacte
Vbera dum iungit labris, vagitibus infans
Delusus, lacbrymisq; domum miserabilis implet.
Ingeminat questum Sobolis lugentis amore
Et superata fame non tam sua tristia fata,
Quàm nati casus queritur moestissima mater.
Iamq; omnes sors vna premit, nec bella, nec enses
Subueniunt animo, cunctos cura vna fatigat
Noctes, atq; dies dapibus vel turpibus aluum
Explere, haud feno arenti, nec parcitur herbis,
Belligeris & donec equis alimenta negantur
Paulatim exhalant miseri ad præsepia vitam,
Quiq; fatigarat ferrata calce furentem

Offi-

Offitio Martis sonipem, nunc funere raptum
Deuorat, & macie tenues depascitur artus,
Non senis hìc famij seruant præcepta vetantis
Innocuis hominum mensis animalia poni;
Tabifica passim vescuntur carne per vrbem.
Est hìc, est etiam, tàm maximus ardor edendi,
Tàmq; potest male suada fames? qui viscera condat
Visceribus cognata hominum, mirabile dictu.
Iordanis namq; ad Solymam properarat ab aruis
Maura potens opibus mulier viduata marito,
Filius huic iuxtà ludebat paruulus aula:
Ast vbi sera fames Solymis persuasit iniquis
Omne scelus, prædasq; palàm, violentaq, furta,
Vi rapuere acies argenti, auriq; talenta,
Perfusasq; ostro vestes, pretiosaq; cuncta
Illi nequicquam ploranti, ac multa querenti
Militiæ Ducibus, qui ceù durissima cautes
Fluctibus in medijs, gemitu, precibusq, mouentur.
Iamq; domi concussa fame miseranda iacebat
Nec sibi, nec nato potis est succurrere victu,
Excruciatq; fames ambos, & uiribus ambo
Deficiunt penitus, somnusq; quiesq; refugit.
Ah quotiès tenero, mater dulcissima, dixit
Ore puer concede cibum, haud permitte perire;
Illa autem lachrymans inquit, carissime fili
Quod tibi concedam non est, ò sanguine nostro
Viuere

Viuere tu posses vtinam, ceu matris in aluo
Vixisti quondam, nunc vberiore cruorem
Fudissem vena, nec funera acerba timerem.
Talia dum memorat stygijs se traxit ab antris
Imperiosa fames, monstrum crudelius illo
Tartareus Phlegeton piceo non spectat ab amne;
Quandoquidem haud homines lædit tocythia solùm
Dira lues: sed quadrupedes, pariterq; volucres
Infestare potest, & quæ natat æquore turbam
Quùm vult, atq; illi licèt audax nemo resistit.
Tunc Mauram inuadit miserè tot casibus actam
Quæ horribili obstupuit visu perterrita monstri,
Sic os informe est illi, sic forda figura est
Pallenti semper facies, caua lumina, nares
Emunctæ numquam rigidis hirsuta capillis
Canities, incana situ deformia labra
Per totum tenuis cutis est, atq; arida corpus,
Viscera qua licitum est spectare, & grandibus ossa
Dinumerare modis; vasto nec corpore venter;
Sed locus est ingens ventris, sunt brachia longo
Anfractu, ac etiam macie per membra patentes
Articuli, & genua, ac æquantia crura columnas,
Quæ simul immodicũ interdum curuantur in orbẽ,
Aduenien sq; Fames Mauræ sæuissima adauxit
Eccè famem, tunc terrificis sic vocibus illam
Alloquitur, spirantq; famem Famis horrida verba.

Hæbreas

Hæbreas inter pulcherrima Maura, puellas
Nobilis, atq; eadem iuuenis florente sub æuo
Eccquid agis? cur nulla tuæ est tibi cura salutis?
Perdita cur adeò lacbrymis incumbis amaris?
Emoriere fame? tàm tristia fata subibis?
Nec tua nobilitas? nec te tua grata iuuentus
Iam mouet horrendum mortis deponere votum?
O scelus indignum, talem dimitte furorem;
Nam furor id suadet, longos & fata per annos
Iàm profer tua viuendo; pater omnis, & omnis
Mater per Solymam vadens ruit ordine rupto,
Vestigatq; cibos omnes, mensasq; cruentis
Humanisq; onerat membris, & condit in aluum
Tergora natorum, & tantùm sibi consulit omnis.
Debilis ipsa domi macieq; fameq; iacebis
Donec summa dies, & ineuitabile funus
Te perdat, natumq; tuum? tu funera nati
Antè velis, debes potiùs tibi. percipe ferrum,
Dede neci puerumq; tuum, & sua viscera prande,
Sic viues, & cui vitam priùs ipsa dedisti
Nascenti, vitam moriens dabit ille parenti
Funere in extremo. quid stas? quid Maura moraris?
Quid dubitas? satiùs nè fame decedere natum
Fortè putas? auidisuè ipsum moritura relinques
Cædendum Solymis, Italum prædamq; cateruis?
Seruabis natum domino seruire superbo?

Horruit

Horruit bis Maura auditis, ac talia fatur.
Quæ tu? ac vndè mihi properas scelera impia suades?
Quæ nam tanta meæ superest tibi cura salutis?
Prendere lethiferum audebit mea dextera ferrum?
Insonti sobolis maculabitur ipsa cruore?
Te nè ego, quem genui, proprio quem lacte nutriui
Continuò teneris immulgens vbera labris
Spes mea, venturæq; quies mihi certa senectæ
Nunc interficiam Nate, & tua viscera mensas,
Explebuntq; meas epulas? tumulaberis in me
O vita mihi care magis? natiq; sepulchrum
Venter erit matris? Quando hæc audita per orbem
Est vnquam feritas? Vrsi, poeniq; leones,
Tigresq; hyrcanæ didicerunt parcere natis;
Et tamen ipsa feris crudelior omnibus vna
Audebo tàm grande malum? priùs ima dehiscens
Me accipiat tellus, Iouis aut me fulmina perdant;
Victa ego quàm tanto succumbere crimine dicar.
Debilitata fame hæc potuit vix Maura referre
Quam contrà sic orsa fuit cocythia pestis.
Frustrà tot simulas, verbis frustraq; profusis
Posse meas non victa manus euadere tentas,
Numquã hodiè effugies, nõ tã mihi parua potestas.
Dixerat, & Mauræ tota se inspirat, & afflat
Arentes fauces, & inania pectora, & ora,
Et vacuis funesta ferit ieiunia venis.

Infernis infecta odijs ad flumina lethes
Illaq; ad igniferum victrix dein vadit Auernum.
Maura fame, ac Erebi cōmota furore remansit
Penè oblita sui, tùm prolis amore fugato
Et penitus tota reiecto à mente pudore
Et spreta pietate, metu legumq; repulso
Armauit dextram gladio, qui tempore eodem
Plutonis iussu stygijs fornacibus olim
Cum sæuo Prognes fabricatus dicitur ense,
Cumq; tuo Medea ferox, dircæaq; Agaue.
Et veluti tigris lactantem ex vbere ceruæ
Educit foetum trepidantem, & dente trucidat;
Sic Maura insontem natum comprendit, & illi
Qua potuit tenero ferrum vi in pectore condit,
Membraq; dilaniat nigranti squalida tabo,
Frustaq; multa cauis dissecta reponit abenis,
Longis multa etiam verubus stridentia figit,
Prandia deinde parans semiustis carnibus igne
Vescitur, inq; suam sua viscera congerit aluum.
Desine iam mendax (augentibus omnia Musis)
Græcia monstriferi cænas memorare Thyestis,
Crimine Sol Mauræ haud vidit crudelius vnquā.
Sic dùm sæua fames Solyma grassatur in urbe
Fluctuat irarum succensus flumine Iessus
Tùm populo in medio metuenda hæc uoce ferebat.
Non epulis gaudens, nec dulcia somnia captans.

Serpentes

Serpentes hederas inter, lauriq; sub vmbra,
Ostro aut discumbens arabum perfusus odore
Hostiles vincet turmas qui præsidet vrbi;
Namq; Ducem cura vigili, assiduoq; labore
Inuigilare decet, populo & succurrere egeno
Et non priuatis postponere publica rebus,
Consilijsq; grauem, nec solùm nosse mederi
Iàm lapsis; sed venturis quoque ritè periclis
Obstare, ac animo prudenti cuncta fouere.
Hanc si gessisset curam malè prouidus antè
Ioannes nobis qui iura suprema ministrat
Non versis fleret Solyma in contraria fatis
Nec tot multa fames Hæbreis damna dedisset:
Ille autem pro se Cereris, Bacchiq; repostis
Muneribus fruitur, sarrano & dormit in ostro
Cum multis, quos solus amat: de plebe creatos
Nos vili esse putans, lethoq;, famiq; subesse
Nos infelices, nec non hostilibus armis
Exultat, tantumq; vident sacra numina crimen
Et patiuntur adhùc sceleratas sumere poenas?
Hinc verò qui nos prohibent succedere Castris
Romulidum, Solymi despecto iure tiranni
Et veniam Regem, pacemq; orare latinum
Ac sua iussa sequi? forsan miserabitur ille
Fortuna oppressos, varijs & casibus actos;
Nam licet, & licuit dominum contemnere semper,


Mansuros donec feruerent prælia Martis.
Ast ubi Ioannes tot millia multa virorum
Fugisse è Solymis Romana per agmina nouit
Aestuat, ac magnos versat sub corde dolores,
Custodum qui dein portam vigilare per omnem
Delectas acies auget, mortemq; minatur
Prætereà quicunq; fugam tentauerit audax.

Finis Octaui Libri.





IO. PETRI DE ALEXANDRO IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER NONVS



NEC iam sola fames Solymos, & turpis egestas:
Mortiferi ast etiam lædunt contagia morbi,
Nec miseris prosunt succi languentibus herbæ.
Victa iacet medicina malis; Mors præualet atrox,
Nec iuuat hunc ætas florens, viridisq; iuuenta,
Non illum robur. fortes, iuuenesq; senesq;

Sorte

Sorte pari fatum inuoluit mors sæuit in omnes,
Falce metit messor spicas ceù æstate retorta.
Sæpè pater, natusq, etiam defunctus eadem
Contumulatur humo, & cara cum coniuge coniux.
Non vnquam feretro solum portatur in vno
Corpus, vix pereunt vnquam sinè fratre sorores,
Tectum spectat idem dominos, seruosq; iacentes,
Ah quotiès ægro dum præstat amicus amico
Auxilium, offitio in medio succumbit, & vnà
Extincti positis flammis alimenta feruntur,
Dumq; aliquis mortem socij miseratus acerbam
Extremum funus, moestum & comitatur honorē
Ad tumulum properare anima fugiente nequiuit.
Iamq; cadaueribus tellus adoperta grauescit,
Vnde reluctanti morbis odor exit iniquus
Pestiferos æstus, extremaq; funera ducens,
Atq, omnes defunctorum compleuerat vrnas
Congeries, & sunt communes omnibus omnes,
Alter & alterius locat exanimata sepulchro
Corpora, nec lachrymæ functis soluuntur amaræ;
Namq; vni subitò successit plurima flendi
Causa potens, morbiq; metus, morbusq; propinquat;
Fortiaq; attonitas subeunt obliuia mentes,
Et funesta lues, & turbans omnia lethum,
Dumq; aliqui struxere pyrā, vt cognata cremarent
Corpora, concurrunt alij, longoq; duello

Alte-

Alterius flammis immiscent membra suorum
Tunc adeunt delubra pij, diuina rogantes
Numina, conueniunt passis de more capillis
Matres, atq; nurus redolentia thura ferentes:
Nil autem iuuere preces, nil dona per aras,
Inter Templa ruit morbus, ruit horrida pestis,
Perq; vias iaceant inhumata cadauera quamuis,
Non tamen hic volucres pedibus pascuntur aducis;
Quandoquidem feralis odor quoque venit in illas;
Quòd si fortè fames, aliquasq; audacia traxit
Ad pastum terris, vbi funera tanta iacebant
Continuò sensere luem, nec ad æthera rursum
Præpetibus potuere impastæ ascendere pennis
Sed tàm multa inter liquere cadauera vitam.
At Solyma indignata suas occumbere gentes
Non vltrà sufferre valet miserata ruinas
Semper inexhaustas proiecta casside tandem,
Et clypeo, atq; hasta, positaq; è fronte corona
Vestibus exuta auratis, nigrisq; resumptis
Dicitur has tristi fudisse è pectore voces
Ad Cælum conuersa oculos, animumq;, manusq;.
Magne parens rerum, Diuumq; hominumq; Creator,
Qui æterna ratione regis terrasq;, polosq;,
Et solo imperia, & firmas Regna omnia nutu
Respice me miseram varijs modò casibus actam

Et

Et tandem miserere mei, miserere meorum
Eripe me his inuicte malis, si ritè quotannis
Sacra tibi facio cumulans altaria donis,
Sis memor, ò Diuum genitor, quòd tempore prisco
Reginam terræ in medio me feceris altam
Armis insignem, ac auro, populisq; potentem;
Vndè caput Cælo extuleram, cunctisq; videbar
Admiranda viris, quis nunc me à culmine tanto
Deicit, & tantis quis me modò gentibus orbat?
In me tempestas vndè hæc exorta repente?
Nec me facta iuuant pace, & notissima bello?
Nec prodest vates nostris in finibus ortos,
Veridici qui res norunt aperire futuras?
Nec seruasse mihi prodest venerabile Templum,
Gens vbi fida tibi meritos persoluit honores?
Hæc orãs queritur Solyma: at suprema Tonãtis
Mens immota manet, prceibus nec flectitur vllis.
Iàmq; opus explerant muri munimine vasto.
Et circùm turres Itali struxere supremas;
Pugnarit multùm quamuis Hæbrea iuuentus
Romanos contrà tantas subuertere moles,
Sed frustrà, tàm Romuleis est magna potestas,
Tamq; potens virtus, tantumq; arridet olympus,
Et Deus Aeneadum vincentibus omnia telis,
Tùm super armatas iussit noctesq; diesq;
Mille manus iuuenum vigiles insistere Cæsar.

Cc *Ipse*

Ipse loco Hæbreos spectans sublimis ab alto
Illos vnde putat pennatis posse sagittis
Lædere, sic Lepidum alloquitur sua tela gerentem.
Da mihi nunc arcum, & pharetra deprome sagittas
Vt iaciam in Solymos, qui noscant arte magistra,
Curuato vt valeam neruo, leuibusq; sagittis.
Armiger Augusto paret, tùm Cæsar in vrbem
Arcum intendebat, qualis pharetratus Apollo
Dyrcæis olim Niobes narratur in agris
Progeniem strauisse, sequens fera iussa parentis.
Sternitur infelix Albertus arundine prima
Pectore transfixus, cui dùm Pænæa propinquat
Extinctum miserata Ducem, veniente sagitta
Regia virgo cadit iugulo percussa cruento,
Purpureamq; animam moriens, atq; arma reliquit.
Nec poteras (ò virgo) manu meliore perire,
Quàm Regis dextra, atq; inuicti Cæsaris arcu.
Vndique concurrunt casus nouitate stupentes
Per murū Solymi. Arcitenens Rex propior instat,
Tertiaq; Euridamanta ferit caua tempora circùm.
Dùm volat immensum stridens per inane bipennis,
Vulnere quo moritur: tùm quarta cruenta Sereni
Inguen transadigit læuum, frustràq; reposcit
Iam moriturus opem Hasbitis, superatus eodem
Fato obit Hasbites, moribundus & ore momordit
Vi extrema eductum lethali è vulnere ferrum.

Caditur

Cæditur Aldemius dein fratris amore perempti
Hùc ductus, post hũc Hector, post Hectora Alexis
Lampidij proles; nec tu miserabilis Ammon
Vitasti lethum, te nona peremit arundo,
Perforat hæc frontẽ, & penetrat violenta cerebrũ,
Indè volans decimum telum lethalia fixit
Vulnera Narseti, cuius lachrymabile funus
Ismael sequitur patria generatus Idume.
Extrema tu magne cadis, Bellone, sagitta,
Nec tibi morte leuis siquidem nascetur ab ista
Gloria, cum fueris à tanto Rege peremptus.
Continuò extollunt vocem pæana canentes
Romulidæ: contrà moerentia pectora complent
Tristitia Solymi tot tristia fata videntes
Magnorum procerum, rapuit, quos casus acerbus.
Ante alios verò exardet, motusq; dolore
Atq; ira Dux Ioannes hæc orsa ferebat.
Impunè occiderit Solymæ flos ipse? Ducesq;
Impunè occiderint per moenia nostra sagittis?
An nobis languent vires, animusq; vigorq;?
Non equidem, nunc este viri, nunc audeat omnis
Prendere tela manu, famamq; extendere factis;
Quandoquidem castris animo sententia surgit
Improuisò Italis vi magna occurrere, vt hostis
Quæ noscat vires Solymis, quæ robora in armis:
Tum nostræ recolens quæ sit constantia mentis

Seù cædet victus, longè seù fortè fugatus
Nos finet incolumes nostra consistere in vrbe.
Hæc vbi dicta dedit Solymi mandata facessunt
Atq; Ducis iussu properant, stant turribus vrbis,
Et portis multi, reliqui tamen agmine facto
Confusiq; ruunt hostilia castra petentes:
Cornua nulla sonant; tuba nulla, silentia seruant
Hæbrei, vt fraudes lateant, suspectaq; tela:
Sed tamen aduertit cui primæ à Rege fuerunt
Iussæ Castrorum excubiæ Farnesius hæros
Clamat is aduentare hostes, manifestaq; signa
Extulit, excipiunt voces, alijsq; reportant
Extemplò reliqui custodum, deniq; certus
Nuncius Augusto narrauerat omnia Regi.
Inde loco Rex Augustus sublimis ab alto,
Stant vbi primores belli melioribus armis
Voce refert, cunctiq; arrectis auribus astant.
O scelerum vltores, gens imperterrita bello,
Quod votis optastis adest, se se obtulit Hostis
E muris longè, ò socij, vt foret iste laborum
Vltimus, & faueat nostris victoria cœptis.
Infelix ruet hæbreus potiore subactus
Et numero, atq; armis, bellandiq; arte magistra.
Festinate viri, video trepidantia tela,
Signa, manusq; hostis, cædentia pectora nosco,
Incertos belli motus, certasq; ruinas

Præuideo hostiles, Solymorum funera cerno
Dixerat. hinc ibat quà magna pericula surgunt.
Ioannes etiam Solymos animauerat omnes
Ordine dispositq; suos, tùm protinus armis
Concurrunt acies Italæ, Solymæq; cohortes
Aera complentens saxis, leuibusq; sagittis.
Dicite Pierides decus admirabile vatum
Quæ deinde exortæ clades, quis funeris author
Extiterit primus. Præstans Traianus in hostes
Irrumpit medios spreto discrimine mortis
Ingentem læua clypeum, dextraq; gerebat
Ensem, ac acer equo multo conamine Alarcum
Interimit; Cario Medix lethabile vulnus
Infigit cerebro; Castor prosternitur atrox
Vulnere Gonsagæ, qui talia voce profatur
Defunctum super assistens, ò pessime tandem
O canis emorere, & volucrum cibus esto, canumq;
Romulidis quoniam viuens tot damna dedisti.
Tunc à Pinello Essæus ditissimus auri
Vincitur, & supplex vitam sic ille precatur.
Vicisti, fateor, saltem nè lumine cassum
Me dimitte meis, vitæ qui dona rependam
Auri muneribus, mihi plurima namq; supersunt.
Per te, perq; tuos, oro, huic responsa ferebat
Pinellus victor, non me tua munera tangunt
Auri, ac argenti, dixit, tùm gutture ferrum

Cōdidit, Esseusq; nigras volat umbra sub umbras.
Rex etiam Augustus, nec nō Vrsinus, & Heros
Cui dilecta Ioui fecit cognomina Quercus,
Magnus & Emanuel, fortisq; Estensis amico
Hærens Borgeso semper, Granaus, & acer
Traianus passim per totum corpora Campum
Plurima cædebant, crebros ceu æstate maniplos
Messores resecant segetum. non ulla resistit
Vis illis immensa licet: sed dicere clades
Quis poterit, Solymis & funera quanta tremendus
Edebat Placidus? iuuenum hic comitante caterua
Lætitia Aeneadum iam dudùm ad Castra rediuit;
Impastus veluti è syluis, aut montibus altis
Errantes si fortè boues leo spectet in aruis
Accurrit velox, non illum obiecta furentem
Flumina, nec rupes, nec grandia saxa retardant,
Nunc illum laniat, iamq; hunc premit ore cruento.
Sic Placidus temnens mortis discrimina mille
Irruit in Solymos, nec ferrum proicit hosti
Vulnera quin figat, nec vulnere perforat ullum
Quin dulci pariter spoliaret lumine vitæ.
Huius fulmineo Andromachus prosternitur ense.
Abstulit huic caput ex humeris: tū maximus Eglō
Lumine confossus moritur: nec paruus Onias
Confidens pedibus fugit irreparabile fatum,
Cæditur & dextra Placidi quoque sæuus Iodes.

Nec

Nec minus Hæbrei crudelia funera passim
Romulidum cumulant, perijt Dux ipse Britannus
Ioannis iaculo, perijt germanus Amyntas,
Romanusq; etiam longo certamine Dorti
Atlius occumbit ferro, cui insigne paternum
Armiger ipse Iouis volucer. Ionatasq; Pudentem
Italica de gente satum prostermit, & illum
Stans super omninò verbis illudit amaris:
Extrema sed voce Pudens hæc verba profatur
Cur miser insultas? adeò cur mente superbis?
Non equidem longùm tu me lætabere victo
Nunc etiam diuina parant tibi numina mortem
Tu morere intereà, Ionatas, respondet, & alto
Linque Ioui hanc curam, dixit, miseriq; recondit
Sanguine adhùc calidum Romani gutture ferrum,
Tempore qui voce, atq; anima spoliatur eodem.
Aduertit Priscus, casum & miseratus amici
Comminus intorsit iaculum, femoriq; refixit
Hæbrei plaga ingenti, ruit ille cadauer
Proiectum supra, & remoratur inane cadauer.
Clamorem ingeminant Itali dùm talia spectant.
Intereà Augusto res admiranda videri
Contingit, custos illi cælestibus armis
Aliger apparet cinctus, qui lumine Phæbum
Vinceret, haud alijs visus, Regemq; profatur.
Rex nimiùm dilecte Deo fortissime Regum
Iam

Iam tandem vinces, en prò te militat omnis
Cœli gens, oculos terram nè flecte per imam,
Aligeros coetus, cæleſteſq; aere magnas
Ordine conſtructas miro circumſpice turmas
Nam tibi mortales oculos quæ denſa tuenti
Nunc hebetat nubē eripiam: non nè vndique cernis
Foelices animas, Solymorum vulnere corpus
Quæ Solymæ poſuere ſolo, vt cæleſtia pro te
Pertractent tela; & pro libertate tuorum?
Puluis vbi ad Cælum aſcendit, clamorq; ruentum,
Multaq; fit ſtrages, nebula circundatus alba
Henricus pugnat diuis comitantibus vmbris.
Hunc propè bella gerit ferroq; armatus & igne,
Militibuſq; tuis animos, vireſq; miniſtrat,
Oſtenditq; viam, facili vt conamine muros
Aſcendant vrbis mira virtute Camillus.
Singula quid referam? tu nunc audentior ito
Ipſe abero nuſquam tua nec tutamina linquam.
Hæc ait, ac animos illi diuinitus auget,
Regis & inſpirat maiores pectore vires.
Hinc Cæſar Solymam conuertens lumina ad vrbē
Ardua, magnanimi proceres, tentabimus (inquit)
Sublimes vrbis ſi nunc conſcendere muros
Nitamur qua parte minus queat hoſtis obeſſe:
Fortibus aſt animis, noſtriſq; decentia telis;
Audaces Deus ipſe iuuat melioribus auſis;

Nec

Nec si curamus communi tramite semper
Optatum pariet nobis victoria honorem.
Ad quẽ sic Mẽtor loquitur, Rex optime Regũ,
Eccquid agis? num te vastis generose periclis
Exponeſ? tu nè excelsos conscendere muros
Turmis immixtus tentabis? honoris hic ardor ?
In te tantus amor laudis, famæq; cupido ?
In te tanta manet? tanto tua pectora motu
Gloria (Cæsar) agit? magnos modò pectoris æstus
Compesce, atq; tuis tantarum pondera rerum
Militibus crede, & Ducibus ea prælia manda;
Nam quos ipse Duces nescis? quod militis ipse
Ignoras nomen, cuius per tela per hostes
Per casus varios, per summa pericula belli
Te modò facta latent toto notissima mundo?
A te cuncta salus cunctorum pendet, in vno
Te posita est campi vita, & decus omne latinum,
Nec solùm propria est Regum: sed publica causa.
Non decet iccirco grauiora pericula inire
Martis sceptrigerum Regem: sed bella iubere
Militibus, Ducibusq; suis. huic talia contrà
Respondet nimia Rex maiestate verendus.
Nequicquam facunde senex, hæc omnia suades,
Quandoquidem primis non sic assuetus ab annis
Ipse fui, nec me talem pater ipse volebat,
Quùm Martis precepta daret, nec bella iubendo

Ille fuit victor semper: sed bella gerendo;
Vrget enim magis, atq; magis præsentia Regis
Laudatumq; magis quærit victoria finem,
Quæ ad Regem proprio successit parta labore.
Hæc vbi dicta dedit, gressus ad mœnia ducit
Agmen agens magnum, & longam parietibus aptat
Scalam, qua centum gradibus super itur, & illam
Sic agitat manibus ceù si leuis esset arundo.
Tùm super ascendit scuto septemplicis orbis
Protectus, dextraq; gerit fortissimus ensem
Fulmineum; Solymi contrà de turribus vrbis
Fraxineasq; trabes, & saxa volantia iactant,
Et mille aduertunt hastas, ensesq; coruscos,
Rex magis, atq; magis tamen imperterritus instat
Vi multa, donec fastigia summa tenebat;
Ascenduntq; vnà secum Farnesius heros
Et Medix, Placidusq, potens, Estensis, & audax
Emanuel, fortisq; etiam Pinellus, & acer
Traianus, nulloq; vnquam perterritus hoste
Vrsinus; parte ex alia conscenderat vrbis
Borgesus murum, fortisq; Columnius vnà,
Granausq; potens, & Sfortia maximus armis,
Atq; alij innumeri, regali fronte stupentes
Effugiunt Solymi, & tuti conduntur in arce.
Arx ingens, & fortis erat contermina muro
Quæ antiquum sortita fuit Antonia nomen,

Vix

Vix ope mortali, aut aliqua expugnabilis arte,
Lumina magnanimus nunc hùc, nunc voluit & illùc
Rex vlla ascensus si parte pateret ad arcem,
Compellatq; hostes, & verbis increpat vltrò.
Ad quem sic Placidus loquitur, Rex inclyte, rogũ
Hìc labor exquirit tempus, namq; ardua prorsus
Res est hanc arcem bello superare, diesq;
Iàm cædit nocti, & longo defessa duello
Corpora miles habet. quoniam conscendimus vrbem
(Et satis effectum est) aptam perquirere nobis
In muro sedem meliùs, qua pellere fraudem
Hostis possimus, properet dum crastina mundo
Ferre Aurora diem, tunc expugnabimus arcem,
Et parte ex omni tutò dominabimur vrbe.
Dixerat, & Placidi placuit sententia Regi.
Delegere locos, vasto & munimine reddunt
A Solymis tutos, passim excubiasq; reponunt
Peruigiles muro. intereà nox atra ruebat
Oceano, inuoluens vmbra terramq; polumq;.
At postquam muros aduertit ab hoste teneri
Ioannes, magna & turbatus strage suorum
Excedit pugna, ac tandem remeabat in vrbem
Ceù lupus exululans, Solymi & comitantur eũtem.
Non tamen hìc animo, nec membris ille quietem
Concedit, semperq; fera torquetur Erinny

Hùc illùc mentem referens. dùm talia versat (tur.
Hinc Pauor agreditur, Pudor inde, Pauorq; profa-
Dux Solymæ, quæ spes vrbem retinere superfit
Iàm tibi, tot quoniam iussit conscendere muros
Augustus valido munitas robore gentes?
Vidisti quæ damna dedit, maiora daturus
Rex tibi, militibusq; tuis si fortè resistes
Vlterius. si cura tui, si cura cohortum
Tantarum si cura domus, & coniugis extat,
Natorumq; tibi, patrias celer effuge sedes,
Subiectosq; tibi Solymæ modò desere muros,
Quos Italos contrà tentas defendere frustrà.
Eccquid erit, maior si gens inimica propinquet
Impetibus vastis vrbi? tibi quippe salutis
Omnis erit præclusa via, & potuisse pigebit,
Nec rapuisse fugam, dixit. diuersa locutus
Sic Pudor est: nè mente metus (Dux) concipe tantos,
Quandoquidem Solymā quæ causa relinquere cogit
Teq; tuosq;? premunt quæ te, quæ damna tuosq;
Quæ nam te cædes, aut quæ te funera terrent
Romanis illata armis? desistere cæptis
Audebis trepidans? Dauidis & inclyta magni
Mœnia permittes latio modò libera Regi?
Eccquis erit de te rumor, quæ fama per orbem?
Gaudia quanta paras hosti, risusq; mouere,
Quam Solymis ignominiam? Dux optime, siste.

Siste

Siste animis, ijdem numero, sunt viribus ijsdem,
Sunt animis ijdem qui nunc tua Castra sequuntur,
Queis longè è summis arcebis moenibus hostes,
Submittesq; Italos. verbis tunc replicat alter.
Fide animo (Dux) fide, tui tot millia quando
Strauerunt Italum Solymi; quando itala spectas
Cædere Castra tuis, ah Dux, ah consule rebus
Iàm lapsis, latij Regis nunc cæde furori
Dùm tempus superest, dixit. mora nulla, coegit
Consilium Dux Hæroum, tunc ora resoluit
Ioannes, seruant tacitiq; silentia cuncti.
Præteritus quamuis requiem labor optet, & atris
Impellat somnos bigis nox vecta per omnes;
Inuigilare tamen, rebusq; occurrere lapsis
Tempora præcipiunt, vtinam non tempus egeret;
Nec me perterrent nuper quas nostra recepit
Gens clades; Italis etenim communia Mauors
Fata dedit: sed quòd murorum parte morentur
Hostes, sollicitor nimiùm, hoc mihi pectora turbat,
Incutit idq; metus, leuior nec causa peredit
Cor mihi dira fames, pestisq; nefanda per vrbem
Quòd cessent nūquā, & Solymos grauioribus ōnes
Continuò infestent damnis, hinc ægra trahentes
Corpora Iudæi, atq; alij fera vulnera passi
Languentes damnant penitus Mauortia bella.
Romu-

Romulidum verò nulli sunt languida in armis
Corpora, multi etiam Aeneadum per Castra morantur,
Haud lassi bello, qui si fortasse propinquent
Muro nos contrà crudelia bella gerentes
Quæ spes? quæ miseris aderit victoria nobis?
Qualis nunc igitur constet sententia menti
Discite legatos mittam, qui foedera poscant
Augusto, referantq; urbem quòd cedimus ultrò
Iuribus ipsius; sed nos quòcunq; placebit,
Tutos ire sinat, foetos armisq; bonisq;
Imperio addictos nulli, penitusq; Quiritum
Legibus immunes: sed vos quoque tempore tali
Consulite in medium proceres, primusq; probabat
Dicta Ducis Simon armipotens, facundia linguæ
Huic erat eximia, assurgens & talia fatur.
Sunt manifesta quidem vehementis signa furoris
Maiorem si fortè minor superare laboret
Maxime Dux Solymæ; Aeneadũ maiora resurgũt
Agmina, ceù niuibus super alto monte solutis
Discurrunt amnes latè crescentibus undis:
Nostra autem semper procedunt agmina retrò,
Inq; dies desunt vires, & fortia nostris
Pectora deficiunt, tot iam cecidere sub armis
Millia, totq; fame; seù quòd foret ista potestas
Certa Italùm, seù fata trahant, Diuumq; volũtas;

Ac

Ac velut Astra alti si quis speculatur olympi
Is tempestatem nautis, pelagiq; futuram
Prædicit rabiem penitus, ventosq; minaces;
Sic ego præuideo, (ò socij) superesse ruinam,
Funereumq; rogum nobis, si forsitan armis,
Certemusq; odijs iterum cum gente latina.
Nec si nos latio Regi cesserimus vrbem
Dedecus est; pudor est, si quos non posse tueri
Noscimus expelli muris patiamur ab hoste
Vi multa, & vitam diffundere bella gerentes.
Hoc scio, quod pariter mecum nouistis, & ipsos
Hostes nosse reor, pugnatum robore summo
A nobis, & qua decuit virtute, nec vllum
Millibus è tantis licet incusare fugatum.
Quare oratores, tua qui commissa ferentes
Romulei Regis referant responsa iubeto
(Optime Dux Solymæ) dixit, cunctiq; fremebant
Vnanimi assensu Solymi, tunc munus obire
Legati, ipse Simon legitur, atq; Albila, Regi
Qui commissa ferant vt primùm Aurora resurget.
Inde nigræ vt Cælo noctis cessere tenebræ
Induxitq; diem Phœbus, de more salutat
Numinaq; Augustus Cælestia ritè precatur.
Dein arcem cura ingenti oppugnare supremam
Intendens, ad se hæroes properare iubebat.
Conuenere Duces regalia iussa secuti,

Quùm

Quùm subitò Augusto certus narrauerat autor
Externos venisse Duces, & poscere Regem,
Rex ait, accedant causam doceantq; genusq;.
Illi introgressi merito venerantur honore
Augustum; vtq; fuit concessa licentia fandi
Tales ipse Simon fundebat ab ore loquelas.
Incyte Rex, Regis proles inuicta parentis,
Aeneadum nomen quo sospite maius in orbe
Semper erit, quem præsentes venerantur vbiq;
Gentes, ac veniens olim venerabitur ætas,
Oramus veniam, & cupimus coniungere foedus,
Sat tecum pugnasse piget, deponimus arma
Ioannis iussu, Solymam & tibi cædimus vrbem;
Nos verò placitas nobis discedere ad oras
Romulidum incolumes telis permitte, bonisq;
Ac armis foetos, nulli seruire potentum
Subiectos, Romanorum quoque iure solutos.
Hæc Simon: at contrà Cæsar responsa ferebat.
Quùm primùm Solymæ cõduxi hæc agmina ad oras
Legatos vrbi misi (memorare potestis)
Queis animi patuere mei vota esse, quod vrbe
Intactâ Aeneadas dominos velut antè velitis
Noscere; vos autem voluistis prælia mecum,
Et quæ tanta fuit vestris fiducia rebus?
Num quia tot vobis parebant agmina bello?
Sed gens quanta foret vobis Romana patebat.

Externis

Externis fortè auxilium ſperaſtis ab oris?
Et quæ nàm gentes Romani nominis hoſtes
Hæbreis mallent potiùs prodeſſe cateruis?
Corporis an magnis confiſi uiribus arma
In me ſumpſiſtis? legio quæ fortior extat
Germanis? armisq; tamen ceſſere Quiritum.
An fuerat muro ſeptis audacia vobis
Præualido? Oceanus cingit prò moenibus altis
Vndique latifluus diuiſos orbe Britannos;
Et tamen Aeneadum ſubmiſſi nomen adorant.
An ne animi vos an nè aſtus fecere potentes?
Maiores animis, maiores contudit aſtu
Poenos Roma potens, magno quæ præſidet orbi.
Sed dicam, vos nobilitas, bonitaſq; ſuperbos
Romulidum fecit, patrio qui viuere ritu
Vos permiſere, ac opibus diteſcere miris;
Vos tamen ingrati ſimiles ſerpentibus in nos
Fundere tentaſtis crudeli ex ore venenum:
Altitonans ſed qui factis bene præmia ſoluit,
Inq; malos ſæuit meritas expendere poenas
Vos bellò iusſitq; fame, longèq; feretis,
Et multò grauiora ſatis, quoniam aſpera numquã
Mens odia excludit, votis & ſemper ijsdem
Nos contrà, atq; animis ſemper certatis iniquis:
Aſt ego ceù genitor didicit qui parcere natis
Motus amore ſuis redeant ſi ad iura parentis

Quæ ſpreuere priùs, quotiès vos fronte benigna
Excepi? quotiès volui ſeruare furentes
Ad Martem, quotiès & me differre volentem
Prælia, vt in meliùs ſententia veſtra reſidat
Bella laceſſitum tractare cruenta coegit
Veſter in arma furor? Cæli ſacra numina teſtor,
Vnde mihi auxilium fateor properaſſe ſupremum
Si ruere inuitus Solymæ fortisſima iusſi
Moenia, ſi inuitus Solymarum funera vidi,
Siq; fame oppreſſos dolui vos pectore ab imo:
Sed mea nil iuuit pietas, nil ira Tonantis,
Nàm proprijs intenta malis mens veſtra reſiſtit
Vſq; tenax, noſtrumq; magis contemnit honorem,
Principio vtq; olim belli nos cædere vobis
Speraſtis, certum cùm det victoria finem
Iàm tandem nobis, victi ſic poſſe putatis
Nos fugere, ac hoſtes aliò diſcedere tuti:
Sed fruſtrà, haud tali iungentur foedera pacto,
Nobiſcum pax eſſe nequit, quia tempore eodem
Eſſe hoſtes vultis, nec victos eſſe fateri,
Eſte igitur nobis hoſtes, concedimus vltrò
Vt cupitis; noſtro penitus ſed Marte ſubactos
Quàm primùm, & noſtris euerſam viribus vrbem
Cernetis Solymam, flammis & cuncta cremari.
Ite ergo, veſtroq; Duci mea vota referte,
Non vltrà pacem, nec ſperet foedera mecum,

Inui-

Inuictum donec Romani Principis hostem
Se dicet. nec plura Titus; Celeresq; redibant
Legati responsa Duci non grata ferentes.
Audierat iàm cuncta, ardentiq; actus ab ira
Talia Dux loquitur Procerum stipante caterua.
Ergò Romulidum foedus coniungere princeps
Nobiscum renuit? sic nos putat ipse iacere
Casibus exhaustos, & fractos Marte supremo
Debeat vt supplex Iudæa potentia iam nunc
Ad sua iura manus longè protendere victas?
Non ità languemus siquidem, nec viuida tantum
Proculcata iacet Solymorum ad prælia virtus.
Syderibus freta sæua igitur iungentur, & ignis
Ante leuis ponti resonis miscebitur vndis
Vnanimes & Gryphes equis priùs, ante capellæ
Atq; lupis iungentur oues, Aquilisq; columbæ;
Quàm spontè Aeneadum patiar seruire tirannis,
Romulidumq; Duci dedam me spontè subactum.
Fatisq; hac potiùs dextra crudelibus vtar
Transfodiens gemino nudatum vulnere pectus,
Talia nè spectem, vilis nè vè arguar vnquam,
Sanguineus Mauors medijs decernat in armis
Quis nostrum Solymæ victor dominetur in vrbe.
Ergò agite, ò Solymi, varijs gens functa periclis,
Et mihi iàm pridem bellorum cognita in æstu
Per medios hostes, per tela ruamus, & ignes

Audentes animis inimicum pellere ab vrbe
Agmen, vel tenues vitam diffundere in auras,
Nè trepidate, viri, patriæ succurrite fortes
Vos nati compellat amor, compellat amatæ
Coniugis, atq; etiam cari reuerentia patris,
Moerentũq; preces matrum, lachrymæq; precãtum
Tutari Solymam detrudere moenibus hostem.
Vrbis fortè luem, & casus miseratus acerbos
Nos placida tandem concedet in vrbe quiete
Iuppiter ipse frui captis ex hoste trophæis.
Talibus ille suos dictis firmauerat omnes
Ad pugnam, nec fortè aliter sat mollia firmat
Pectora natorum audacem perrumpere turbam
Venantum si quando dolos, aut retia tendunt
Torua leæna acuens siluestres corde furores.
Nulla mora est, properant, gressusq; ad moenia
Romanos contrà, qui iàm molimine magno (vertũt
Arcem expugnarant pulsantes ariete crebro
Parietem, & scalis fastigia summa tenentes
Custodum strage horribili per tela ruentum.
Hostiles acies hinc Rex prospexit, & inquit
Alta voce suis, iuuenes, date pectora bello
Omnia nunc igni prosternite, & omnia ferro,
Hostis adest, hodiè Solyma dominabimur vrbe
Hæbreis victis, tunc vos donabo quiete
Optata, & prædis, spolijsq; ex hoste superbis,

Præmiaq;

Præmiaq; alta dabo, patriasq; reuisere sedes
Concedam cunctis. dixit, lætiq; parantur
Romulidæ bello. hic aderat fortissimus armis
Iulius, hunc olim Augusto Bithynia misit
Vt ferat auxilium Aeneadis, & talia fatur.
Romulidum princeps, magnorũ maxime regum
Cernis vt exultet telis, vt splendeat auro
Agminis ipse sui in medio, cristaq; coruscus
Ioannes Marti similis? videatur vt omnes
Compellare Duces pugnam decernere ferro?
Illum ego comprendã his manibus, uinctũq; reducã
Ad tua Castra potens (ausis modò numina prosint)
Quòd si aderit fortuna meis contraria votis,
Contingatq; mihi Solymorum occumbere dextra
Laus erit in morte, & cineres post fama sepultos
Numquam opus eximium me tentauisse silebit.
Dixit, & admirans Cæsar iuuenilia vota
Vade heros animose (inquit) quò maxima virtus
Te vocat, à magnis nascetur gloria cæptis
Semper, & aspirat digno fortuna labori.
Hæc Titus. Aeneadum properãt ad bella Cohor-(tes
Et qualis summo torrens è uertice Pindi
Quùm ruit impetibus uastis, magnoq; fragore
Excurrens rura, & florentibus arua rosetis
Transit, & obstantes aperit sibi flumine campos
Prosternens segetes, sata læta boumq; labores,

Ac

Ac armenta, ferasq, trahit, filuasq; reuulsas;
Talis se in medios hostes conduxit Iulus
Ense viam faciens; illi nemoq; resistit,
Cui si aliquis conferre manus fuit ausus; ab ipso
Vulnera siuè tulit, seù fata extrema peremptus.
Et veluti fugiunt Aquila veniente columbæ
Hùc pauidæ, atq; illùc & candida tecta reliquunt;
Sic illum effugiunt Solymi terroribus acti,
Tot strages edit, tantusq; assurgit in armis.
Ipse autem campis acer discurrit apertis,
Ioannem cui sola Ducem est superare voluntas,
Longè illum spectat, vultus & figit in illo.
Ceù leo magnanimus, vidit qui è monte propinquo
Armenti decus; atq; Ducem per pascua taurum
Corpore præstanti ventos ad bella cientem
Illum oculis poscit, solùm contendit in illum,
Omnes inq; illum furiatas colligit iras.
Iàm propè Ioannem venit, seq; ipse parabat
Compellare Ducem bello, pugnaq; domasset,
Ni ferus arcitenens longè aduertisset Abias
Præcunctis arcu doctus torquere sagittas
Secum is sic loquitur, virtutem ostendere belli
Tempus adest, aude tanto seruare periclo
Ioannem incolumem: meriti nec gratia tanti
Parua erit, & facti quoq; gloria magna sequetur.
Hæc secum, atq; arcu torquet mira arte sagittã.

Ingenti

Ingenti ſtridore volat feralis arundo,
Belligeriq; hærens frontem transfixit Iuli.
Extrahit ipſe manu ferrum, ferroq; cerebrum
It ſparſum, cerebroq; fluit mixta vnda cruoris,
Tùm cadit infelix foedatus puluere vultus,
Et terram mordens animam cum ſanguine fudit.
Concurrunt Solymi, bigis religantq; cadauer.
Indè vias vrbis lacerum raptatur in omnes.

Finis Noni Libri.





IO. PETRI DE ALEXANDRO

IVRECONSVLTI GALATEI ET ACADEMICI OCIOSI

HIEROSOLYMÆ EVERSÆ



LIBER DECIMVS

EST locus in medio Solymæ ſpatioſus, & inſtar
Circi, qui innumeras gentes capit vndique motas.
Conueniunt hùc ambæ acies, & prælia miſcent
Aequore ceù medio claſſis contraria claſſi
Obuia fit minitans illi, ſimul illa minatur
Ingentes illi clades, miſeraſq; ruinas

Vtroq;

Vtraq; plena viris, exuberat vtraq; telis.
Nec mora, pugnatur saxis, leuibusq; sagittis
Primùm, queis altum velarunt aera circùm,
Corpora multa cadunt morientum, multa gemiscũt
Saucia. tùm hastiferi certamina dura subibant,
Crebrescunt ictus hastarum, ac æthera tranat
Plurimus effractus stipes, & mucro cruentus.
Syluius offenso dùm pectore nititur hastam
Extrahere Alcontis subijt lacbrymabile fatum,
Os illi Placidus iaculo confixit acuto,
Dentesq; auulsit, penitus caput inde penetrat,
Flauicomum dein Goffredum, similemq; Corebum
Interimit, Lysiamq; simul, fortemq; Dioclem.
Gonsagæ haud potuit dextram vitare furentis
Issacus, & distentus humum pede calcitrat ora
Sanguine turpatus nigro, cui vasta bipennis
Tempus vtrumq; secans pectus descenderat vsq;.
Occidit Izates Ludouici ingentis ab armis
(Henrici Ludouicus erat germanus) & ibat
In Solymos obitu fratris ceù perfida tigris,
Natis quæ ex antro raptis iuga longa perrans:
Raptores agitat contrà implacabilis iras.
Lumine confossus, magnaq; Pacorius ira
Percitus Estensem agreditur superare potentem:
Sed frustrà; ille etenim frontem diuerberat hosti,
Et ventrem, tenues vitam qui fudit in auras.

Pinelli Cusius transfixus deperit ense,
Vnde alimenta priùs materna sumpserat aluo.
Ingentem læua clypeum Pinellus agebat
Gemmis conspicuum, insolitoq; nitore micantem,
Ad cuius radios rutili ceù ad lumina Solis
Debilis efficitur visus (res mira) tuentum;
Antistes dudum hunc Symeon donauerat illi,
Fas vbi Pinella Hæroes dè stirpe futuros
Cernere erat Diuum generatos semine ab alto,
Quos Author (quicunq; fuit) diuinitùs illic
Finxerat & multo circum cælauerat auro:
Antè alios autem Ansaldus clarissimus armis
Conspicicur, similisq; patri generosa propago
Albertus, proprijs, factisq; insignis auorum.
Hìc simul Armanus veræ virtutis alumnus
Cernitur, & Gabriel Patriæ tutela potentis,
Nec non vrbis amor Pasqual iustissimus vnus.
Aemulus & patris diuina Palladis arte
Andalus illustris, nec te Fabiane, sub vmbra
Occùluit nigra pictor, decus omne tuorum
Optatum Lygurum, Italiæ & memorabile numen.
Andale & ostendit te nomine (magne) secundo
Virtutum radijs totum splendere per orbem.
Nominis hinc primus Galeatius istius author
Eccè videbatur claris splendescere factis
Magnanimos inter lygures, ceù Phœbus in Astris:
Publica

Publica tum bini regere inclyta iura videntur
Præclaræ Cosmi Genuæ properantibus annis.
Alter & illustris bellorum, & tempore pacis
Summis ornatus titulis; Galeatius Heros
Cernitur. hic Latium multo decoratus honore
Reddidit insigne, & sacris virtutibus auxit
Parthenopem, & nouit populos frænare superbos,
Subiectosq; sibi supremo rexit amore.
Ioannes tùm conspicitur Vincentius, hic est,
Quo melior numquam, quo non præstantior alter
Doctrina surget, mira virtute decorus.
Tertium & ostentat Cosmum mirabile scutum
Relligione pium, & Regi super omnibus vnum
Austriaco carum, & regali munere primos
Inter adornatum, Herculeo Turcasq; Tarento
Robore pellentem summo, & sacra Templa nouātē
Cælicolum Patri: sed mors viridante sub æuo
(O dolor), hunc rapiet, cæli & remeabit ad oras.
Filius hinc iuxtà nulli bonitate secundus
Virtutum sedes Galeatius eccè subibat
Vndiquè Franciscus flauo spectandus in auro:
Solus habet quodcunq; alijs concesserat æquus
Ipse Deum genitor, iuuenem mirabitur omnis,
Et colet omnis eum, & statuas Galatea merenti
Eriget huic Domino, & veros sacrabit honores;
Namq; erit exemplar semper venerabile morum.

Quò cunq; aſpiceres currentes ſanguine riuos,
Haſtaſq;, atq; arcus fractos, & mortua paſſim
Corpora cernere erat, triſtes ſuper Aſtra querelæ
Luctiſoni gemitus, ſuſpiriaq; alta volabant.
Aſſiduo tandem laſſarant membra duello
Vnà Romulei, ac Solymi crebròq; peractis
Excubijs, longè expertes viniq; cibiq;:
Pugnabant tamen inter ſe; velut æquore nautæ
In medio quamuis agitati tempore longo
Hùc illùc ventis, tempeſtatumq; furore
Defeſſi nauem ſummo luctamine remis
Paulatim impellunt, ſæuiſq; tuentur ab vndis.
Iàmq; alij è Caſtris celeres hoſtilibus ibant
Romulei Solymos contrà, quia cæde peracta
Vndique bellantum Solymæ per moenia, nullus
Romulidis obſtat, quales velut agmine denſo.
Per ſaxa interdum innumeræ ſpectantur adire
Horrea formicæ frugum ſat plena petentes;
Aeneadæ tales Solymam longo ordine adibant
Optantes pugnam. gelida formidine pectus
Continuò complent ciues, & quiſq; ſtupeſcit,
Cogitat & iàm iàm condi in ſua viſcera ferrum,
Non ſecus ac æger nulla medicabilis arte
Quùm norit properaſſe diem, quo fata ſubiret
Vltima triſtatur, timida quoque tartara mente
Concipit, atq; animo poenas, tormentaq; ſentit.

Viderat

Viderat ipse nouas bello properare cateruas
Ioannes, tristemq; agitans sub corde dolorem
Talia dicta dabat. Superest spes nulla salutis
Occidimus, Ciues, tota spatiantur in vrbe
Parte alia ingressæ murorum denique turmæ
Romulidum, exitio nostrorum, & strage cruenta:
Sed quia adhùc vita est nobis, viresq; supersunt
(O animosa chors casus iactata per omnes)
Hosti occurramus, ausis fortuna fauebit.
Hæc ait, inq; hostes celerat. quem mille secutæ
Dura per arma manus Solymæ comitatur ad arma,
Queis mens vna manet patria depellere ab vrbe
Victores Italos, certo aut succumbere letho;
Non etenim mortem horrescunt. sic spicula habẽtes
Dum tutantur apes natos, & dulcia mella
Alueum irrumpentes pretiosaq; furta parantes
Interdum si arcere velint, non vltima vitæ
Fata timent, quamuis proprijs spolientur & armis.
Clamore ingenti subeunt, multosq; trucidant,
Innumerosq; fugant itali rupto ordine ciues.
Et veluti luctata diù surgente procella
Oceano immenso obsistit ferientibus vndis
Nauis: at ex imo si surgant æquore aquarum
Prærupti montes, & fluctus impete vasto,
Atq; Eurus, Boreasq; ruant, pluuiosus & Auster
Miscentes Cælum, & terras, & funditus æquor
Subuer-

Subuertant, ignara viæ, bene certa salutis
Amissæ, non præterea tutamina tentat,
Desperat portum, & cædit rumoribus illa;
Non aliter multi postquam properasse phalanges
Conspexere nouas Italum tot multa ferentes
Funera cædebant iam lassi viribus arma,
Et miseri per Templa ruunt, delubraq; poscunt.
Hìc quoquè stant moestæ matres, pueriq; senesq;
Inualidi ad pugnam cælestia voce præcantes
Numina, feruentiq; animo: nàm vulnere Obedam
Occubuisse vident, miserumq; iacere Nephanum
Raptores agitat contrà implacabilis iras,
Tunc se se Pinellus agit, metuendus & ense
Borgesus nec non Placidus, qui è cardine postes
Vi magna euellunt, intrantq; palatia Regis
Hic, vbi relliquias vrbis videre trementes
Inuadunt subitò tendentes brachia Cælo
Et veniam frustrà orantes, & multa precantes.
Tùm miseræ natos pressere sub vbera matres.
Sed cædunt matres, cæduntq; sub vbera natos,
Et natos antè ora patrum, coràmq; parentes
Occidunt nato, & fratrem, & cum fratre sorores.
Sanguinis vnda fluit, reboat plangoribus aer.
Hìc aderat legis Solymorum interpres Obades
Effoetus senio, ac populo acceptissimus vnus,
Tot verò vt vidit cædes exclamat, & inquit,
Nulla

Nulla igitur vestro pietas in pectore regnat
Romulidæ? quæ tantæ animis iuuenilibus iræ?
Sat fuit occidisse viros, qui in bella ruebant,
Hos oro saltem paucos dimittite inermes,
Qui tendunt palmas, nec se defendere contrà
Audent, hoc vnum liceat, si pectora tangunt
Vestra preces, in me potiùs conuertite ferrum
Hos sinite. hæc multùm lachrymans orauerat ille,
Traianus cui sic dictis respondit amaris.
Hoc ego te perdam ferro, quia poscis, & omnes
Tecum cædentur, nec de tot millibus vnum
Incolumem superesse sinam. tunc ense retorto
Abstulit ille caput cana è ceruice reuulsum.
Iamq; omnes Solymos regalia tecta colentes
Aeneadæ grato spoliarant lumine vitæ,
Atria perq; domus Cæsorum corpora passim
Sanguinolenta iacent (siquidem miserabile visu)
Truncaq; crura alijs desunt, & brachia multis
Dissociata patent, illic capita ipsa videntur
Corporibus diuisa suis, confossaq; ferro
Lumina sunt illis, huic aures, naresq; recisæ,
Estq; patens alijs traiecto in pectore vulnus,
A quo manat adhùc vberrima sanguinis vnda.
Et veluti ingressi plenum per ouile leones
Impellit dum fera fames, cum matribus agnos,
Et pecudes cædunt omnes, ac cædibus acres

Intenti semper maculatum sanguine pectus,
Oraq; perfundunt nigro, sic cæca furore
Itala gens nimia Solymorum strage peracta
Fert vestes crasso, rubicundaq; tela cruore,
Intereà Templo gentes conducit ab alto
Ipse Simon, veniuntq; Syon de monte cohortes
Quot quot erant, dùm tot miseras astare ruinas
Conspiciunt Solymæ, Cæsorum vbi Cæsar aceruos
Planitie in magna cumulat, quo prælia Mauors
Vix meliùs gereret dilapsus ab æthere quinto:
Iamq; aduentantes contrà videre Cohortes
Hostiles Itali intrepidi, tunc voce sonora
Augustus loquitur socios, en vltimus inquit
Nunc superandus adest nobis labor, eccè propinquat
Qui nostris armis hostes huc vsq; supersunt
Non iterum discessuri, quia vincimus illos
Et numero, & telis, solido quoque robore belli,
Atq; animo; nam quæ miseris audacia tandem
Esse queat victis socijs, atq; vrbe subacta?
Eia agite hos alios veluti resecemus aristas.
Dixerat. ingenti Æneadum clamore iuuentus
Aera perrumpit, celeriq; hostilia gressu
Agmina adire parant sese venientia contrà.
Vtq; Simon Regem longè radiantibus armis
Norbanusq; ferox, Hiramusq; animosus, & acer
Murranus conspexissent, pernicibus illi

Acce-

Accelerant plantis duro se opponere Marte.
Non secus interdùm pastorum turma leonem
Peruigil accurrit si intrantem spectat ouile
Cæde vltura nefas, hostem aut pulsura malignum.
Qualis Aper, si quando canũ fera turba minatũ
Circumstat rabido frendens huic ore timorem
Incutit, huic vulnus designat dente retorto,
Talis erat Rex Augustus venientibus illis,
Hastamq; opponens solido se robore monstrat
Omnibus, & ferrũ nunc hunc, nunc torquet in illũ,
Norbanum interimit, Murranum sternit, & ipsũ
Ense Hiramum rutilo spoliat vitalibus auris.
Inde Simon pedibus confidens Marte relicto
Aufugit pauitans, atq; hùc discurrit, & illùc
Et qui cunq; audet contrà se opponere Regem
Ipsius aut dextra occubuit, seù limine in ipso
Territus in Templum abscedens se se ipse recepit,
Cæsaris hæ vires, tanta est in Cæsare virtus,
Munitumq; omnes diuino robore credunt
Cùm tot multa daret Solymorum millia morti
Sit tamen ipse potens intactus vulnere ab omni.
Parte alia Vrsinus, clarusq; Columnius armis;
Granausq; audax, & cui dat nomina Quercus
Emanuelq; potens edebant funera passim
Nec cuiquam è Solymis parcunt fera prælia quãuis
Non tractent, cædantq; vltrò victricibus armis.

Venerat hùc Cæsar multis rumoribus actus
Horrenteſq; videns clades, & funera acerba
Inſontum, cohibete viri tàm prompta cruoris
Vota inquit, tantoſq; animi frænate furores,
Et vitam ſeruate quibus non arma geruntur,
Hos capite, & noſtris captiuos ducite Caſtris
Manſuros donec iubeam: ſi prælia verò
Si quis adhùc tentare parat proſternite ferro.
Non ſecus ac iuſſi faciunt. poſt terga reuinctis
Innumeros manibus per caſtra propinqua ferebant.
Tùm prædis Itali inuigilant, quia nemo reſiſtit
Omnes fugerunt Solymi ſacra Templa petentes.
Eripiuntur opes argenti pondera & auri
Antiquæ Solymæ, rapitur pretioſa ſupellex,
Et quod ab heſperijs populis, & Sole peruſtis
Nauta reportarat dùm ſors non læua manebat,
Expoliantq; domos vrbis, thalamoſq; relictos
Incendunt, vbi cara ſuo cum coniuge coniux
Sæpè maritales, dulceſq; recepit amores.
Regia turris erat media ſublimis in Acra
(Reginæ domus alta Helenæ dùm vita manebat)
Iſtatæ hinc clades Galeatia filia Regis
Viderat, & lachrymis oculos velut imbre madentes
Et laniata comas hæc ſecum dicta recenſet.
Nulla mihi tandem ſupereſt ſpes certa ſalutis
Omnia ſubuertunt Itali, ferro omnis & igni
Tra-

Traditur hæbreus, sæuit mors atra per omnes,
Haud vlli matrum, puerorum haud parcitur vlli.
Cui me seruabo miseram? seruabor in ignes
An potiùs ruitura feros seruabor in enses?
Vilis, & ignota extremo sinè honore sepulchri?
Et quæ nec flammis gessi nec prælia ferro
Infelix moriar sacras ceù victima ad aras?
Otia nùm quæ inter diuinæ Palladis artes
Excolui semper, duri modò munere Martis
Fungar, & apprendam galeas, ensesq; coruscos?
Hæ nè manus suetæ tenues percurrere telas
Audebunt Italum transfigere pectora ferro?
Non vigor iste meo stat corpore: frigida virtus
Pectoris, & cædes animus muliebris abhorret.
Ergò quid faciam? cur non tentabo precari
Supplice voce Titum? forsan miserabitur ille
Me miseram insontem, Regis mens esse benigna
Sæpè solet miseris, & vota iuuare precantum.
Audebo, faueantq; meis pia numina cæptis.
Fata hæc carpit iter, non auro ornata vel ostro
Nec diadema caput, nec corpus purpura texit,
Tristem habitum sumpsit, vestes atq; induit atras,
Indocilesq; errare comas proiecerat auris:
Lumine sed stellis longè quàm præstat Apollo,
Pulchraq; fraterno Phæbe splendore relucens;
Tam virgo hæc alias potuit superare puellas,

Tantus in ore decor, maiestas tantaq; in illa est;
Et veluti è nebulis Titan splendentior exit,
Sic magis, atq; magis nigra illa in veste placebat.
Hanc etiam gemini fratres comitantur inermes,
Quos tenera haud ætas bellum tractare sinebat
Par illis facies, similisq; est forma sororis,
Et fratrum germana aderat pulcherrima in ore,
Et nitido fratres spectantur in ore sororis,
Queis habitus, tantumq; dabat discrimina sexus.
Iãq; Italũ conducta manu Regi ipsa propinquat.
Candida continuò accendit rubor igneus ora,
Virginis inq; genis casti rubicunda pudoris
Lumina fulserunt, non sic ebur enitet ostro
Sanguineo, mira quod tinxerit arte magister.
Dein Regem meritò Aeneadum venerata profatur.
Inclyte Romulidũ Princeps, quẽ maxima virtus
Nobiliore loco statuit per culmina honoris,
Vincere cuiq; dedit Solymam, gentesq; potentes
Ad te confugio supplex, te vt numen adoro,
Tu lassæ requies, profugæ tu portus, & ægræ
Tu mihi certa salus, nec iam mihi denique restat
Quod possim implorare aliud tot casibus actæ,
Tu miserere mei; ac fratrum misere meorum,
Natæ proles Regis sumus, armaq; numquam
Gessimus Aeneadas contrà, & tua iura subimus,
Parcere subiectis igitur, miserosq; leuare

Rex

Rex venerãde velis; nã magno vt principe dignũ est
Gloria quem Cæli vexit super Astra perennis
Oppugnare malos, & debellare superbos;
Sic miseris, & supplicibus succurrere par est.
Hæc illa: at Cæsar iam dudum intenta tenebat
Ora, dein breuiter dictis ita fatur amicis.
Regia virgo tuis precibus miserescimus vltrò,
Seruamusq; tibi vitam, & florentibus æuo
Fratribus. intereà tuti succedite castris
Italicis, ibi cum Solymis dùm iussero victis
Mansuri. grates egit Galeatia Regi,
Fratresq; & loca iussa petunt, comitantibus ipsos
Aeneadum multis per magna pericula Martis.
Tùm iubet excelsum turmas inuadere Templum
Cæsar, vbi è Solymis gens cuncta armata moratur;
Namq; opus id facile, & multo sinè sanguine credit.
Expediunt mandata citi, instrumentaq; belli
Romulidæ Templo vectant, & plumbea saxa
Lethiferis iaciunt ballistis vndique motis.
Nititur æratas aliquis conuellere portas,
Arietat in muros alius, scalisq; laborant
Audaces Templi culmen conscendere multi:
Sed frustrà; obsistunt Solymi, qui sulfure mixtas
Immittunt piceasq; faces, lapidesq;, trabesq;
Horribili clade Aneadum, magnaq; ruina.
Nec minus hæbrei crudeli strage peribant,

Dumq;

Dumq; ita supremi pugnant in limine Templi
Romani, ac Solymi, summa prospectat ab arce
Amnius intrepida Solymos obsistere fronte
Romulidis, & certa videt discrimina belli,
Ingentesq; notat clades, & fata suorum
Exardens ira, secum dein talia fatur.
Quod genus hoc hominum, quis nam furor arma ministrat
Hæbreis? rabies quæ tanta moratur in illis
Vt victi pugnare velint? dominamur in vrbe;
Iudei cecidere Duces, fluit vnda cruoris,
Cæsorumq; vias Solymorum corpora passim
Arctarunt, arcesq; altæ, turresq; supremæ,
Sublimes muri, & nostris quoque Regia telis
Victa iacent, miserosq; fames, atq; vrget egestas
Seq; negant victos, & duro Marte resistunt,
Victoresq; velut properant ad bella furentes.
O mirum, quotiès fauit victoria nobis
(Nam fauit semper) dominos nouere potentes
Romanos victi populi, & victricibus armis
Submisere vrbes, & maxima Regna volentes:
At Solimi cædunt numquam, victiq; repugnant,
Nec bellum finire putant nisi morte recepta.
Armis nunc igitur nostris quicunq; supersunt
Funera summa ferant. Templo haud se posse tueri
Permittam vlteriùs, cædat reuerentia Templi,

Quod

Quod Solymi vitijs macularunt ante superbi,
Igne ruat Templi memorabilis ardua moles,
Et scelus expendat flammis exusta nefandum
Gens infensa Deo. Dixit, facibusq; resumptis
Permeat, & nulli visus per culmina Templi
Terq; quaterq; manu fumantem proicit ignem.
Tunc iterum, rursusq; faces iaculatur in ipsa
Ostia, perq; ipsos postes, perq; aurea tecta
Flamma volat crepitans, tabulataq; cuncta perurit,
Ignibus aspirant per summa furentibus auræ
Perq; ima, horrendos Solymi super æthera iactant
Clamores, & fortè gemunt, & pectora plangunt.
Viderat ardentes Templo discurrere flammas
Cæsar, & heus (inquit) flammas probibete propbā-
O Itali, nè fortè Deos incendia lædant, (nas
Qui noceant posthàc offenso numine nobis.
Est sacer ille locus, venerando parcite Templo.
Hæc vbi fatus erat, summa nituntur opum vi
Omnia vastantes longè diuertere flammas,
Omnibus inq; modis ignem restinguere certant
Æneadæ iussi: sed quò magis ipse vetatur
Ignis fit maior, flammasq; emittit olympo.
Tunc aliquis tales fundebat ab ore loquelas.
Non sinè mente Dei tàm magna incendia fiunt,
Vis nulla his obstat, nulla superantur ab arte,
Et Templi exitio semper maiora resurgunt.

Intereà

Intereà multos Solymorum flamma cremabat,
Euadunt aliqui, & specubus conduntur in atris.
Dumq; ignes alij effugiunt, hostilibus armis
Occumbunt, aut colla ferunt religata catenis.
Effugiens flammæ discrimina summa Meirus,
Vitaratq; simul Ioseph dalæia proles,
Qui socium alloquitur sic alta voce Meirum.
Quid nobis flammæ fugisse pericula prodest
Si multò maiora manent discrimina rerum?
Ibimus heù quò nam soli? speranda salutis
Vnde via est nobis, cum tanta minentur vtriq;
Millia Romulidum subitas crudelia cædes?
Sanguine Romanus nostro maculabitur ensis?
Gaudebunt Itali sæuo nos perdere ferro?
An verò vt viles animas seruire iubebunt
Indigno imperio? latias ne feremur in oras
Antè triumphales currus per Compita Romæ?
Hæc igitur nostris animis ignauia creuit?
Ah cur non potiùs flammis alimenta ruamus
Per medios morituri ignes, ne illudere captis
Exultent Itali nobis? quòd funere in ipso
Si laus nulla aderit, nec gloria fata sequetur,
Quis tamen arguerit nos effugisse tiranni
Imperia, ac odisse hostili occumbere dextra?
Hæc Ioseph breuiter; dedit hæc responsa Meirus
Aut nobis inspirat idem Deus æthere ab alto,

Aut

Aut eadem nostra residens in mente voluntas
Nos mouet, hæc animo dudum mecum ipse reuolui
Quæ modò tu suades, & nè gens Itala nostris
Gaudeat exanimis, & vitæ munere functis
Corporibus, medium nunc prosiliamus in ignem,
Patria Tùm nostros cineres seruabit adustos
Perpetuò tellus, sic quos coniunxit in vnum
Verus amor (dùm vita fuit) nec morte diremit,
Et cineri cinis ipse tuo miscebor, & vmbræ
Semper ero comes vmbra tuæ. sic fatus amico
Oscula summa dedit, comprensaq; dextera dextræ
Iungitur, inq; ignem quà maior surgit in auras
Splendidiore globo velox se immittit vterq;
Purpureis veluti gaudentes floribus olim
Admittunt se se nimphæ per prata legendis
Tunc ambo ardenti moriuntur in igne volentes.
Talia prospectat Cæsar stupefactus, & igne
Succendi Templum premit altos corde dolores.
Ioannem intereà Aeneadum manus, atq; Simonē
Spelunca inuentos dudum tellure sub ima
Ingenti ad Regem vinctos clamore trahebant,
Iamq; propinquarant Regi, coramq; reducti
Cæsare, spectantes ad terram immota tenebant
Ora, graues oculos ira, linguisq; fauentes,
Et quamuis multi rogitassent plurima, numquam
Respondent, semper tacitiq; silentia seruant.

Tùm Cæsar summo conuertens lumina olympo
Feruenti tales rumpebat pectore voces.
Omnipotens Cæli Rector, pater optime Diuum,
Numine sub cuius Romana potentia semper
Creuit, & effecta est mundi Regina, caputq;
Roma potens; meritas vnquam persoluere grates
Quis tibi, quis poterit? tu me vasti æquora ponti
Tranantem, tu me Solymæ per bella furentem
Semper rexisti per cuncta pericula tutum,
Et vires, animumq; dabas: victoria tandem
Per te nata mihi est, non gens, non arma, nec enses
Te sinè tàm multas potuisset subdere turmas
Turresq; excelsas, munitaq; moenia, & arces.
Iàmq; Duces Solymæ tenebrosa per antra latentes,
Gaudia complentes nobis, faustumq; triumphum
Aucturos olim Romæ, non nè ipse recludis?
Non igitur mihi, nec cuiquam: tibi gloria Soli
Debetur, tibi verus honor, laudesq; perennes;
Romaq; tàm magni meriti non immemor vnquam
Donec Tybris aquas tyrrhena per æquora voluet,
Rupeq; tarpeia capitolia celsa manebunt
Te colet, atq; tuum sanctum, & venerabile nomē,
Aris inq; tuis meritos sacrabit honores:
At tu dexter ades semper, resq; aspice nostras.
Hæc ait, adduciq; Duces ad castra iubebat
Peruigili cura manibus post terga retortis.

Deus

Dein ſtudio ingenti curari ſaucia mandat
Corpora Romulidum, & condi defuncta ſepulchro.
Non ſecus, ac iusſi faciunt, totamq; per vrbem
Ibant Aeneadæ, & ſemper Romana iuuentus
Offitijs intenta pijs dat corpora pasſim
Multa virũ tumulo; flãmis & multa cremãtur.
Poſtera iàmq;nigras Aurora remouerat vmbras,
Phæbeiſq; dies radijs exorta nitebat.
Quùm Regis iuſſu è caſtris duxere propinquæ
Innumeros valli penitus tardante ſenecta
Viribus exhauſtos, morbiſq; fameq; iacentes
Cædendos Solymos ferro, qui è valle patenti,
(Cæſar vbi iusſit ſpolium mortale reponi,)
Moenia ſpectantes lachrymarum flumina verſant,
Atq; hæc dicta dabant. Salue pulcherrima, ſalue
Noſtra domus quondam ciuili rubra cruore
O domus, ò patria ò noſtris viduata ruinis
Atq; iterum, rurſuſq; vale gratisſima tellus
Non nobis ſpectanda iterum, teſtabere noſtros
Ipſa obitus, cædeſq; truces noſtra oſſa reſeruans,
Seraq; poſteritas te æuo mirabitur omni,
Et iacet locus iſte viros, terra iſta recondit
Qui Aeneadum cecidere armis crudelibus olim.
Iſta loquebantur magno circum agmine ſepti
Romulidum, & ſe ſe verbis hortantur amicis
Ad mortem; vtq; omnes periere, & nemo ſubibat

Vltrà cædendus, ſolio venerandus ab alto
Heroum in medio Rex eſt hæc verba locutus.
Exoptat veluti requiem qui multa peragrans
Terrarum ſpatia, & montes, nemorumq; receſſus
Incolumis tandem patrias peruenit in oras,
Nautaq; vt horrendos caſus emenſus in vndis
Cum rate ſi portus intret felicibus auris
Ocia poſcit amans, exhorreſcitq; labores,
Sic vos Aeneadæ per cuncta pericula Martis
Tot bellorum æſtus, medios tot damna per hoſtes,
Et longum paſſi exilium; nunc denique victis
Hoſtibus, & Solyma ſuperata robore ſummo
Pace frui merita cupitis fera bella peroſi.
Iàm vobis eſt parta quies, & debita cunctis
Præmia perſoluam: totam ſed funditus vrbem
Vaſtatam (paruus labor eſt) incendia poſcant:
Excelſasq; adeò intactas tres linquite turres
Et muri tractum occidua de parte ſupremi,
Vt veniens ætas tantam mirata ruinam,
Relliquiaſq; vrbis, meritò cognoſcere poſſet
Quæ fuerit virtus, & quanta potentia in armis
Romulidum, vt bello tam magnam euerteret vrbē.
Nec mora, belligeros prædam partitur in omnes
Auguſtus, torques alijs, auriq; talenta
Donat habere illis, argenti bis pondera tradit,
Veſtibus auratis multi donantur, & haſtas

Prælon-

Prælongas alij excipiunt, pretiosaq; tela,
Millibus è tantis nemo sinè munere abibat.
Læti animis cuncti Regi persoluere grates
Gaudent, & mundi imperium quisq; augurat illi.
Rex pius inde abijt procerum comitante caterua,
Sacra canit, Superum & meritos indicit honores,
Balantes cæduntur oues, præreptaq; aratris
Colla boues præbent cultro, & mactantur ad aras.
Magnanimi intereà Regis præcepta sequentes
Aeneadæ, tectis ignem sparsere volantem
Ignea vbiq; fluit pestis, spatiatur vbiq;
Mulciber ipse furens, rapiturq; ardentibus aer
Flammis, atq; nigro fumo, cæcisq; fauillis,
Flammarum & resonāt strepitus, totamq; per vrbē
Ignibus immissis incendia vasta refulgent.
Regia iamq; ruens magnam dedit alta ruinam,
Cuncta hominum fabricata manu prolapsa recūbūt
In cineres, volitantq; globi caliginis atræ.
Nec talis Thebana fuit, troianaq; clades
Vtraq; doctiloquis vatum celebrata Camænis.
Est fortè licet flammis æquare futuris
Præsentes ignes, olim labentibus annis
Hæc erit arsuri facies tristissima Mundi.

Finis Decimi & vltimi Libri.

Errata Sic	Corrige
Fol. 3. versu 6. poenitus	penitus
Fol. 6. ver. 22. Hymectus	Hymettus
Fol. 2. ver. 25. sedista	sed ista
Fol. 7. ver. 11. eo is	eois
Fol. 20. ver. 26. vnanimos	vnanimes
Fol. 22. ver. 16. immobilisi	immobilis
Fol. 49. ver. 1 querens	Quercus.
Eod. fol. ver. 6. cupide	cuspide
Fol. 52. ver. 1. efferet	effert
Fol. 64. ver. 11. sanginem	sanguineum
Fol. 61. ver. 19. continno	continuò
Fol. 76. ver. 15. precant i	precanti
Fol. 77. ver. 14. sinomina	si nomina
Fol. 80. ver. 16. opressa	oppressa
Fol. 75. ver. 17. vigilia	vigila
Fol. eod. ver. 18. tuaruam est	tuarum est
Fol. 119. ver. 10. remouere	remoue
Fol. eod ver. 26. propè	properè
Fol. 116. ver. 24. alentes	olentes
Fol. 127. vers. 2. accedant	accendant
Fol. 144. ver. 1. ouautes	ouantes
Fol. 128. ver. 14. Erymni	Erinny
Fol. 149. ver. 1. Hyancinthis	Hyacinthis
Fol. 172 ver. 5. humero.	humeros
Fol. 230. ver. 9. præcantes	precantes
Fol. eod. tolle integrum versum duodecimum	
Fol. 231. ver. 21. illis	illi



Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Vicarius Capitularis.

Magister Cornelius Tiroboscus Prædicatorum Ordinis Theologus.





NEAPOLI,

Ex Typographia Ioannis Baptista Gargani, & Lucretij Nucci.
M DC XIII.